




# VITÆ ET ICONES SVLTANORVM TVRCICO=RVM, PRINCIPVM PERSARVM aliorumq; illustrium Heroum Heroinarumq; ab Osmane usq; ad Mahometem II.

*Ad vivum ex antiquis Mettallis effictæ, primum ex Cōstātinopoli D. Imp. Ferdinādo oblatæ nunc descriptæ & Tetrasticis succinctis illustratæ,*

*a*

*Ja. Jac. Boissardo Vesuntino.*

*Omnia recens in æs artificiose incisa et demum foras data, per*

Theodorū de Bry Leod. Civem Francforti.

Francf. ad moen. A° M.D.XCVI.









Petri Lepidi Metensis in Boissardi effigiem à Theodoro de Bry sculptam.

*COVS Alexandrum si nobilitauit Apelles,*
*Dum pinxit docta Principis ora manu:*
*Iane, tuum illustrat Theodori industria vultum,*
*Qui tanto heic pictus cernitur artifice,*



# CLARISSIMO PRÆSTANTISSIMOQVE VIRO PETRO LEPIDO.

## REGIORVM NEGOTIORVM SVMMO PROCVRATORI, apud Mediomatrices, Virdunenſes & Tullianos.

*IANVS IACOBVS BOISSARdus Veſuntinus.*



RODIERAT in lucem ſuperioribus annis, libellus ſub meo nomine, qui continebat icones aliquot illuſtrium virorum, quas olim acceperam à Lentu-

lo Ventidio Vmbro. Illis autem breuiùs quàm res requirebat ſingulorum vitam adſcripſeram, ſed vt mihi ab ipſo Ventidio communicata fuerat.

Quæ cùm multis, potiſſimum tibi, vir præſtantiſſime, non diſplicuiſſent, mihique aliquot adhuc ſupereſſent aliorum Principum exterorum imagines, petiviſti vt has in ordinem redactas ſuperioribus adijcerem, addita ſingulis vita diffuſione oratione tractata. Id poſtquam ex hiſtoria Iouiana, & Annalibus Turcicis Leonclavij feciſſem, non potui hoc opuſculum cuiquam alij meliùs dicare, quàm tibi: Qui vt de re literaria hactenus ſis optimè meritus, vt tuus quoque candor eſt & integritas, meos labores & conatus ſolitus & ſemper laudare, ac me ſingulari beneuolentia & fauore proſequi. Quod meum erga te ſtudium propenſamque voluntatem reddidit. At vt res videatur aliqua ſerie progredi, Et maiorem legentibus adferre delectationem, exordium huius libelli placuit ſumere ab origine Turcicorum Imperatorum, quorum nomina recenſeo vſque ad Mechementem, qui

anno

anno ſuperiore à ſuis cæſus eſt. Simul quoque inſerui aliquot aliorum Principum vultus, qui potentia, & arte militari his ſæculis clauerunt ſub Othomannorum po. Imperio. Quod exiguis principiis ortum ducens, tantum ſucceſſu temporis ſumpſit incrementum, vt occupata fere tota Aſia, maiori Africæ parte, tandem in Europam tranſiit, videaturque totum Occidentale Imperium oppreſſurus, niſi prouidentia Dei noſtris rebus tempeſtiuè prouideat.

Veriſsimum id ſemper eſſe fatebimur concordia res parvas creſcere, diſcordia maximas dilabi. Chriſtianorum res nihil olim tantopere concuſsit, quam avaritia, ſocordia, ambitio, & contentiones Græcorum Principum: qui dum neuter alteri cedit, dum mutuas in ſe exercent diſcordias & inimicitijs implacabilibus indulgent Turcis, qui procul in Aſia degebant, accitis pontem fecerunt, quo per Helleſpontum in Europam trajicerent, Imperiumque Conſtantinopolitanum, totam denique Græciam paulatim ſui Iuris fecerunt. Hodieque tantos fecerunt progreſſus, ut occupata jam fe-

re tota Hungaria, ad portas Viennæ Austriæ considеant armati, Germaniæ inhiantes. Nostri interim Principes intestinis odijs inter se sæuientes, bellis assiduis omnes Christiani orbis prouincias concutiunt, virisque & facultatibus exhauriunt: nihil aut segniter curantes excidium, quod nobis imminet; & opprimet procul dubiò, nisi Deus clementissimus protectionem nostri & defensionem suscipiat, perniciemque & calamitatum abyssum, quas in nostra capita attrahimus, auertat: immeritosque & nolentes eripiat è deploranda & horrenda illa seruitute, in quam redacti sunt hodie tot Asiæ Europæque gentes; quæ iusto Dei judicio subiectæ sunt jugo Othmannicæ tyrannidis, & Mahometicæ superstitionis: quæ priscorum Imperatorum incuria, ex Arabia irrepsit in tot tamque florentes in Africa, Ægypto, Asiaque, Ecclesias: pullulatque indies magis ac magis, & protenditur vsque ad vltimos Indiæ terminos, ab ortu vsque & ad septentrionem. Dumque hæc audimus & videmus securi, pro regnorum amplificatione ambitiose decertantes inter

se

ſe Principes, permittunt hoc fatale incendium longè latèq; ſerpere: quo & ipſos conſumi neceſſe eſt, niſi maturè rebus communibus proſpiciant, obuijque eant & repellant peſtem gliſcentem.

At non conſiderant hanc infamiam illos apud poſteritatem manere, quæ memoriam honeſtam Grȩcorum inquinauit, dum judicantur plus ambitionis & obſtinatiæ habuiſſe, quàm pietatis. Et dum cædibus vacant reges, reliqui verbum Dei & ſcripturas ſacras ad ſuos ſenſus pro arbitrio detorquentes, dum pertinaciter de verbis diſputant, morum integritatem, & vitæ reformationem negligunt: Interim truculentiſſimus ille omnium hoſtis diuerſis ſectis diſſidentes, & bellis ciuilibus exhauſtos & fractos immaniter opprimit. Tandem, ſicut de Phrygibus dicitur, ſerò ſapientes redditi, & magno noſtro malo prudentes, reliquum quod nobis ſuperfuturum eſt, vitæ calamitoſæ gemebundi exigamus metuendum eſt, deſiderio torti amiſſȩ, nõ ſpe evecti recuperãdæ libertatis. De his cum inter nos ſæpius facta ſit mentio, communicatiſque familiari-

liaribus colloquijs ingemiſcamus ad conſiderationem malorum communium; proderit, meo judicio, pauca hic adnotare, quibus lector iudicet quàm vario euentu, incertaque viciſſitudine res humanæ inuolvantur: in quibus nihil diuturnum nihil ſtabile aut firmum. Quæ dùm probè conſiderauerimus, animum erigemus ad cœlos, ad quos Æterni Patris nos inuitat voluntas: iubetque neglectis huius mundi occupationibus vanis, mutabilibus & caducis, quietem perpetuam, certam, & cœleſtem nos aſſiduè meditari. Tunc primùm beati iudicabimur, non quando delicijs, opibus, honoribus & proſpera valetudine in hac vita fruemur, ſed quando corporibus his corruptilibus exuti, cupiditatum & æmulationum erimus expertes.

PHILIP-



# PHILIPPÆ LA-ZÆÆ POLANÆ IN ICONES IANI IACOBI BOISSARDI.



*Vm viros, claræ quibus aura lucis*
*Fulſit, antiquo celebriſq; ſæclo*
*Fama, mirandis reuocare certas,*
*Iane tabellis:*

*Tu tuum nomen decus atque laudes*
*Porrigis primo radios ab ortu,*
*Quà vehit Phœbus celeri rotatu ad*
*Littora Calpes.*

*Et tibi debet ſtudioſa ſummum*
*Turba quæſitum meritis favorem:*
*Quam manu docta, Et calami magiſtra*
*Arte beaſti.*

*Sic placent gnauo facies labore*
*Principum pictæ, quibus Italorum*
*Paruit quondam regio, ſimulque*
*Dorica tellus.*

*Sic iuvat quorum veneramur artes,*
*Dogma virtutem, via geſta, vitam,*
*Gratiam, roburque, ſcientiamque*
*Cernere vultus.*

*Viuida quos ſic oculis figura*
*Subiicis noſtris, proprioque geſtu,*
*Vt putet quiuis ea ſigna veram*
*Ducere vitam.*

*Gloriam ſaclis tibi ſic futuris*
*Adſtruis: qua qui voluit potiri*
*Dicier credo hunc potuiſſe ab omni*
*Parte beatum.*



PRINCI.



# PRINCIPVM ALIQVOT TVRCICORVM, PARTHORVM, ET VIRORVM ILLVSTRIVM VITÆ, CVM ICONIbus vniuscuiusque.



NNALES Turcici ( quos Hieronymus Beck à Leopoldſtorff ex Conſtantinopoli Viennam Auſtriæ adportauit Ferdinandoque Imperatori obtulit: cuius iuſſu in linguam Germanicam verſi ſunt à Ioanne Gaudiero, poſtea à Ioanne Leonclauio aucti luculento ſupplemento, & doctiſſimis commentarijs illuſtrati) Hi, inquam Annales memoriæ prodiderunt apud Parthos in vrbe Machana dominatum obtinuiſſe Lecracem: annum autem & tempus non adnotant, quo hic Lecraces vixerit, aut quid geſſerit, eiusque poſteri, qui continua ſerie generis, regnique ſecuti ſunt, vtpote Oguzan Lecracis filius, & reliqui qui ex eo nati ſunt, nempe Oguzes, Giokolpes, Verſaiobes, Tectomur, Ciaces Aga, Bakis Aga, Baſunger,

 Oicolu-

Oicoluces, Bainder, Cusulbuga, Cabielpes. Et Soleimanes Scachus, à quo suam historiam aggrediuntur. Qui dum Machanæ rebus præesset Parthicis, Zingis Chan Chitaiensis regionis Tartarorum, vel ut Annales scribunt Tatarorum rex magnus, in Parthiam cum numeroso irrupit exercitu; Belchamque urbem vi captam diripuit, cum tota regione Chorasane, pulso Curiseme Scacho Belchæ & Chorasanis principe, cuius filius fuit Vgnan Chan, qui pater in itinere mortuo suos Bagadatim perduxit, urbemque occupauit, totamque finitimam regionem in suã redegit potestatem. Quod cum intellexisset Zingis Cham, illum armis oppressit: Soleimanes quoque Scachus Machana eversa, cùm Tataro Principi viribus se sentiret imparẽ, maluit illius violẽtiæ cedere, quàm cum eminenti periculo ei se opponere: Collectis igitur Parthorum ingentibus copijs de Romania invadenda cum suis consilium inijt: Erzingam igitur urbem Armeniæ petens, inde in Asiaticam Romaniam progrediens, multis jam auctus peragratarum provinciarum spolijs, Amasiam potẽtissimam Cappadociæ urbem occupavit; unde Chalepum Syriæ, quæ antiquis fuit Berrhoca, petens, ad oppidum Taber prope Euphratem castra posuit: Cùmque natatu illis esset trajiciendus fluuius, Soleimanes primus aquam ingressus, cum equo absorptus gurgite suffocatus est. Is filios habebat Sungursengim, Gundogdim, & Euturulem. Hi patris corpus quæsitum inventumque sepeliverunt: Et ad campos profecti Passonios cum quadringentis mapalibus (quæ tabernacula sunt filtro tecta, & quæ facilè transferuntur) illic consedit Ertucules Soleimanis filius; diuque finitimorum injuriis vexatus, cum intellexisset Sultanum Aladinem, qui paulò antea

lo antea ex Parthia quoque expulſus fuerat à Tataris, & in Romania Aſiatica complures prouincias armis ſubegerat, ad illum Sarigatiin filium ablegauit, qui illum oraret, vt aliquem locum Parthis qui cum eo erant habitandum concederet: quos perhumaniter excepit Aladines, illisque locum commodum adſignauit, in quo degerent.

Sed cum armis vicinorum agitaretur Aladines, inque tot motibus & inimicorum incurſionibus tutò non poſſet habitare Ertucules cum filiis Gundo, Sarigati & Oſmane verſus Engurim, quæ eſt, Ancyra, Galatiæ vrbem ſe recepit, occupataque regionis parte Græcos perpetuis incurſionibus infeſtabat, & rapinis exhauriebat. Tandem è viuis deceſſit anno Chriſtianæ ſalutis 1289. cum ſuis præfuiſſet annis 42.

ISNICA TE ET NICÆA TIMĒT BITHYNNAQ. PRVSA:
CÆDE TAMĒ GVNDI ET QVÆ SARIGATIS OVAT.




EDEBALIS NATAM THALAMIS ADIV̄GE TVIS: NĀ
PVLCHRA HAC DICERIS POSTERITATE PARĒS.



# OSMANES.



VM ERTVCVLES adhuc in vita eſſet, noctu ſomniauit è ſui Edebalis, hominis ſanctitate & prodigioſis miraculis clari, ſplendorem Lunæ emanare, ac penetrare in ſuum ſinum: auem cum geſtiens excepiſſet, ex eius umbilico enata eſt arbor, quæ regiones omnes vicinas, montesque & campos ſua vmbra tegeret, & ad radices arboris perennes aquas effluerent: quibus vineæ horti agrique amœniſſimi rigabantur: à ſomno poſtquam experrectus eſſet, recta ad Edebalem ſe contulit, illique ſomnium ſuum declarauit. Ille diu apud ſe cogitabundus quæ poſſet eſſe huius ſomnii interpretatio, tandem ad Ertuculem conuerſus: Naſcetur tibi, inquit, filius, qui bellis vicinos ſubiget, & eius poſteri regna & prouincias multas poſſidebunt. Filio tuo nomen impones Oſmani, & educabis qua poteris diligenti cura, certus ſis ex eo tibi futuros nepotes qui ſummo cum imperio regnabunt. Natus igitur, & iam factus adultior Oſmanes mortuo patri in regno ſucceſſit: & vxorem duxerat Edebalis illius Prophetæ, qui Iconii agebat

bat

bat, filiam,ex qua nati sunt illi Vrchanes bassa,& Alisbassa, cum patre Osmane Græcis multum facescerunt negotii,omnia late longeque populantes, & diripientes Isnicam tandem,quæ est Nicæa,cum vicinis occupaverunt oppidis. Turcis occurrit præfectus Prusæ Bithynicæ; & in eo cōflictu cæsi sunt Osmanis fratres Gundus Elpes Agde muris Pater, & Sarigatis qui Aidogdis vocabatur : Osmanes tamen victoria potitus Prusam contendit, & arctissima cinxit obsidione, qua tandem potiti sunt, Iussupho vrbis præside deditionem faciente Vrchani, qui Osmanem patrem absentem in occupatione Neapolis certiorem de re tota fecit, Prussa capta est anno Christi 1327. Paulo post Osmanes è vita decessit, relicto Vrchane Gazi regni successore:qui magnis diuitiis ac ditione ampla potitus, Parthos principes, qui in prioribus expeditionibus patri & auo socii fuerant, imperii sui participes fecit,distributis illis aliquot prouincijs:Vrchanes filios iam susceperat Soleimanem Bassam, cui Gerlensem & Bolensem Sangiacatum dedit, & Muratem Cham cui concessit prouinciam Inungen. Postea Soleimanem præfecit Isnicæ,& Muratem Prusæ:Soleimani, quod mitis esset & clemens, sponte se dediderunt oppida Isnicæ vicina Atramylium, Pergamus, & aliæ Troadis vrbes,quæ simul Musulmannicam receperunt religionem, Christiana relicta.

Tandem de transfretando in Europam, consilio duorum principum (quorum alter Esesbegus, alter Fasilbegus dicebatur) cogitat : Illi Hellespontum traiecerunt ad Chiridocastrum, vbi mare latum est miliari tantum Græco: castrumque illud, & Madylum interceperunt: Quod Græci negligentius ferentes,de iis expellendis non

cogita-

cogitarunt ſtatim: poſtea & Turcæ Callipolin occuparunt & paulatim magnos progreſſus in Thracia fecerunt; Cum autem mortuus eſſet Vrchan Gazes Soleimanis pater, qui & duobus ante menſibus vita deceſſerat, Imperium Gaſi Murati Chani remanſit: Is Zenderbuen Chelilem Cadileſcherũ ſuum cum exercitu miſit, qui Callipolim & Zorlum trai iceret: quod vi cepit, & vrbem Sis, Burgoſinemque. Interea Eurẽoſes Begus cum Chaſi Elibego ad Hebrum, qui Maritza nunc dicitur, caſtrum Burgos occuparunt, & Dimotucum, & Ipſalam. Interim Murates Chan cum Scachino regiæ œconomo Hadrianopolim venit, adductis ingentibus copiis, quibus ſe adiunxerunt Eurenoſes, & Elibegus: exercitibusque junctis Hadrianopoli potiti ſunt, anno Chriſti 1360.

His auctus prouincijs, & locupletatus ingenti præda, Pruſam Bithyniæ transfretato Helleſponto petijt: Vnde breui redeundum illi fuit in Europam, cum illi nunciatum eſt plusquam quinquaginta Seruianorum millia collecta eſſe, & ad recuperandam Hadrianopolim contendere. In quos Scachines Regiæ Muratis œconomus, occupatis paulo ante Zagora & Iſchebole, arma mouit, & per inſidias nocturnas ſuperauit, maximumque captiuorum numerum ad Muratem miſit, Anno. 1366.

Qui rebus proſpere geſtis, in Aſiam reuerſus, Baiaſitem Gilderonem filium circuncidi iuſſit: & Germiani Principis filiam illi deſponſauit. Ceraſumque vrbem ad Pontum Cappadocicum ſubiugauit, & Cotyaiũ Phrygiæ, Hierapolimque: & per legatos Delobelubanum & Chairedinem baſſam ac Eurenoſem begum in ſuam poteſtatem redegit agrum Gemulſinæ, Maroliam in Thracia, & Serras non procul a Ciſſo verſus, Hebrum flumen: Cala au-

tem Scachines in cõfinibus Thraciæ, Macedoniæ, & Theſſaliæ occupauit Cauallam, Dearina, Hieriſſum, & Monaſtirium, quæ acciderunt anno Chriſti 1386.

Anno autem 1390. Murates exercitum duxit in Lazarum Bulcum Seruiæ Deſpotam: propterea quòd ad Pannonios ſe contulerat, & in Muratem concitarat: qui ad Coſouæ planiciem cum duobus filijs Baiazite Gilderone, & Zelebi Iacupe acri prælio dimicaturus videbatur: ſed à quodam Chriſtiano Cabilovitzio Lazari domeſtico ſica in ventrem principis adacta expirauit anno Chriſti 1350.

Mortuo Murate Turcorum Principes Iacupem Zelebim obtruncant, & Baiaſitem Imperatorem communi omnium ſententia conſtituunt: qui prælio cum Seruianis inito eos vicit, Lazarumque captum fruſtulatim concidi juſſit, Hadrianopolimque reuerſus eſt, deportato patris corpore, quod Pruſam devectum ſepeliri curauit in monumento ſuorum. Eius tamen viſcera in Coſouæ planicie recondita ſunt.

Baia-

CAPPADOCAS CILICASQ. DOMAS, PŌTVMQ. REBELLEM:
IMPERIVMQVE SVBIT GRÆCIA VICTA TVVM.




CVM SCYTHICO ADVĒTAT TEMIR CHĀ MILITE: CVIꝰ
INCLVSVS CAVEA, IVSSA SVPERBA FERES.



# BAIASITES GIL-DERVN.



AIASITES patre è vivis ſublato, Turcico ſolus imperio potitus eſt: qui ſtatim armis adortus eſt Kratovum Sarviæ oppidum ad Hæmum ſitum, idque occupavit cum omnibus argenti fodinis: Et Feris begum bellicoſum hominem miſit ad Danubium, qui ſtatim Vidinam urbem in Turcarum redegit poteſtatem, & Citron Theſſaloniæ; Boziciamq; ingreſſus, Patzinacas ſubegit Iagides begus. Interim Baiazites in Caramaniam profectus, Hypſipolim (quæ à Turcis vocatur Alaſcheher) occupavit. Aidinenſes ſe ultro dediderunt, & Sarchanienſes Anno 1391. 1391.

Neque multo poſt Ioannem Palæologum Conſtantinopolis Imperatorem aggreſſus eſt: Sed avocatus eſt ab hoc bello, adventu Sigiſmundi Hungarorum regis, qui Nicopolim Anno 1392. obſidione cinxerat ad Danubium ſitam: ſed in hos nocturna impreſſione facta, Turcæ 1392.

 ſupe-

ſuperiores evaſerunt Chriſtianoſque in fugam verterunt. 1393. Tranſacta interim pax eſt inter Græcos & Turcas ea conditione, ut intra Conſtantinopolis mœnia Turcæ virum unum darent in habitandum.

Eo tempore Borcuces Alcairi Sultanus diem obijt, cuius provinciam invaſit Gilderum. Et Anno ſequenti ductis in Armeniam copijs, Ertzingam Techrinbego (qui Scender vocabatur & Rex Armeniorum) ademit. Reverſusque in Romaniã, traiectoque ad Callipolin freto, Siliſtriam & Empolim ſuo adjecit imperio: quod accidit Anno 1394. Peloponneſumque petens Feringen urbem oppreſſit: Reverſus Hadrianopolin Deſpinam filiam Stephani Bulcovitzij Serviæ Deſpotæ uxorem duxit: Cumque Caramaniæ Begus Aliſurius Hemidam ſive Ceraſuntem occupaſſet, Baiaſites Pruſam venit, peragrataque Phrygia, quæ Tekienſis dicitur provincia, in Ciliciam Caramaniam venit, Iconiumque obſedit, quod facta deditione à civibus recepit, Cæſareamque Migdiam, & Acſaram. Et ad pontum Borbem cepit, Iſvendiaremque Sinopes Principem coëgit ſibi partem ſuæ provinciæ cedere. Anno 1396.

Neque multo poſt Pruſa Amaſiam veniens, Sebaſtem à Caſi Burchane accepit: cui præfecit filium ſuum Emirem Soleimanem.

Anno autem 1397. Temir Chan (qui à noſtris Tamberlanes vocatur) Parthiam ingreſſus, omnia ferro & rapinis concuſsit, ulteriuſque progreſſus, Chalepum cum tota circunjacente regione occupavit, Damaſcumque direptum populatus eſt anno 1399.

Ad hunc

Ad hunc Temirem Turcomanni cum Techrine, Germiano, Duxinone, & Mentesio begis, qui omnes suis ditionibus expulsi erant, & fortunis exuti legatos miserunt, & suam miseriam explicarunt, induxerunt eq; ut Baiaziti oppressori bellum inferret: quibus benignè susceptis, pollicitus est se eorum injurias acceptas ulturum: nisi exules rursum in provincias, ex quibus fuerant expulsi, reducerentur. Quod cum facere recusasset Baiazites Tatarus ingenti exercitu coacto in Turcam venit, & Sebastem illi ademit, eamque evertit: interim avocatus est in Syriam incursione Sultani Memphitici qui vrbes ademptas recipere conabatur: quo fugato Chalepum & Emisam, Bealbecumque (quæ fuit Heliopolis (subegit: Reversusque in Parthiam ad urbem Carabugi hybernavit. Sequenti anno, veris principio, exercitum ad Amasiam duxit. Ertzingamque, & Engurim. Interim Baiazites magno Tatarorum numero ad se accersito, quos per Moldaviam ex Destesi regione in Anatoliam adduxerat: Horum auxilio adjutus ad Ancyram sive Engurim venit, ut Temiri Chani sese opponeret: Instructis igitur aciebus, cum ad arma ventum esset, Tatari cum Germianis & Mentesijs (quorum Principes erant cum Temire) à Baiazite defecerunt: eo prælio cæsus est Mustaphas Zelebis Baiazitis filius: Bassę reliqui abducto altero imperatoris filio Emire Soleimane, fuga sibi consuluerunt. Baiazites ipse captus, & ad Temirem adductus, cùm esset interrogatus quid facturus esset, si is fuisset victor. Baiazites ferociter respondit; si fortuna favente in meam venisses potestatem, inclusum te ferrea cavea mecum hinc inde circumduxissem: atqui, ait Temir: cadē patieris victus, quæ tu victor mihi eras præstiturus. Caveaque inclusum in exercitu

sem-

ſemper ſecum circunduxit: quem cum deducturus eſſet in ſuam ditionem, mœrore oppreſſus Baiazites ſibi mortem conſciuit, relictis filiis quinque ſuperſtitibus, Emire Soleimane, Iſa Zelebi, Muſa Zelebi, Sultano Muchemete, & Caſam Zelebi: nam in Temiriano prælio cæſus erat Muſtaphas. Hæc contigerunt Anno ſalutis noſtræ 1402.



SO-

D

NO MALVS ES, NISI TE ENERVET MALE SVADA VOLVPTAS
QVÆQVE MINVS BELLO CONVENIT INGLVVIES




HOSPITIO MIRXI FRVITVR IAM MVSA VALACHI:
ILLE TVVM VIGILAT PRONVS IN EXITIVM.



# SOLEIMANES.



ORTVO Baiazite ex Anatolia in Romaniam Europæam reuerſi ſunt Alisbaſſa , Eines begus, Et Azan Aga, qui exercitus erant duces præcipui. Sultanus Muchemetes Amaſiam profectus eſt,& otio ſe dedit : Interim Muſa frater Iſam comprehenſum occidit:in Muſam Emir Soleimanes arma ſumpſit: cuius potentiam formidans Muſa , Caſanem cum ſorore Conſtantinopolim obſides miſit, vt pacem cum Imperatore Manuele Palæologo firmaret. Soleimanes interim Hadrianopolim petens Imperator declaratus eſt : ad quem Muchemetes frrater Amaſia legatos miſit , qui in nouis imperij auſpicijs illi gratularetur. Soleimanes quoque ad Caramaniæ Principem literas dedit, quibus illum rogabat vt Muſam fratrem non pateretur elabi : ſed Muſa id intelligens matura' ſibi fuga conſuluit , venitque ad Iſvendiarem, qui illum naui impoſitum per pontum Euxinum in Valachiam tranſportari curauit ad Mirxem ſi-

 ue Mar-

ue Marcum Bogdaniæ Principem ſiue Valachiæ : à quo non ſolum hoſpitio exceptus eſt , ſed eius conſilio Hadrianopolim occupauit,vbi ab exercitibus Imperator ſalutatus eſt, qui in Soleimanem fratrem luxu & ingluuie difluentem arma mouit, eumque oppreſſit; qui elabens in vico quodam ab incolis trucidatus eſt : Vicumque Muſa incendit occiſis omnibus habitatoribus.

Soleimanes imperauerat tantum annis ſeptem:mortuus eſt 1411.






QVID MELICVM VEZIREM INVIT FECISSE, TVO SI TE PRIVE PATRIO PRODITOR IMPERIO.
SVLTAN MVSA CHAN.
TE FRATRI MERSVM COENOSO GVRGITE TRADET
SARVDZES; SERVO FIDERE STVLTITIÆ EST.



# MVSA.



VCHEMETES qui Amasiæ habitabat, cum fratrem Soleimanem de medio sublatum audiuit, Musamq; Imperatorem declaratum, illum bello persequi statuit. omnesq; Anatoliæ prouincias Soleimanis imperio subditas in potestatē redegit: Musa interim ne imparatus opprimeretur à fratre, reb: suis diligenter prospexit: Schahumq; Melicum creauit Vezirem: & Scheichem Bedredinum Samobunæ filium Cadileścherū instituit, & reliquas prouincias inter suos familiares & duces militiæ distribuit: Vidinam ad Danubium sitam, & quæ defecerat, ad imperium reduxit, Buruvadamque & Metaram subegit. Et Chiupurlim, quæ ditionis erat Seruianæ: assiduisque excursionibus Constantinopolitanos vexauit: ad quos, Musa deserto, Scachus Melicus Vezirazemes defecit: vnde se recepit ad Sultanum Muchemetem, qui tunc temporis cum Baiazete Bassa Veziresime suo consultabat, quo pacto posset Hellespontum transfretare, & in Europam venire: Opportunè eo venit Scachus Melicus, qui consuluit ad Imperatorem Constantinopolitanum mittendos, vt cum eo pacem

cem iniret, & eius auxilio in Europam traiiceret: nam Callipolis parebat imperio Musæ, ad quam traiectus Hellesponti commodus patet. Pace igitur sancita, E regione Constantinopolis navigio Imperatoris accepto transiuit, & ad Inzuam castra posuit, ad quem Alisbegus Eurenosisbegi filius cum suis copiis statim defecit: eumque secutus est Michael Iochzibegi filius, qui Musæ erat Beglerbegus. Quorum exercitibus auctus Muchemetes Hadrianopolim venit, deficientibus à Musa omnibus, præter Acanzios, cum quibus fugiens, ad Samecouam vrbem coactus est cum fratre manus conserere: se illi imparem sentiens dum fugeret, illius equus in profundum cœnum lapsus est: Musam verò deiectum detinuit Sarudzes servus, qui dominum ad Muchemetem adduxit: illumque nocte sequẽti in tentorio strangulari jussit; postquam imperasset annis tribus. Cõtingit id anno 1414. Muchemetem begum Michalis filium Acanziorum ducem captiuum ad vrbem Tocatam misit, quæ est Neocæsarea Cappadociæ.


MVCHEMETES BAIAZITIS.



# MVCHEMETES.



Vſa igitur interempto, ac de ſuis rebus jam ſecurus Muchemetes, ad omnes principes vicinos miſit legatos, qui cum ijs pacem tranſigerent: Coactoque milite venit Pruſam, quam paulo ante Caramanus Princeps occupaverat & incenderat, Ibaſebaſſa cum urbis lotupletioribus civibus in arcem compulſo. Ingreſſus igitur Muchemetes Caramaniam, Varſacum ſubegit, incolis deditionem faciẽtibus: Inde Iconium contendit, ubi illi occurrit Caramanus, prælioque commiſſo, ſuperior evaſit Muchemetes, captivo Caramano, cum Zebuco Muſtapha ſuarum copiarum duce: cum quo ita tranſegit, ut tribus oppidis, & uni caſtro Muchumeti conceſſis, ipſe Caramania potiretur. Ab eo quoque copias auxiliares, ſicut ab Iſvendiare, impetravit; quibus adjutus, Valachis bellum inferret: quos acri bello ad pacis conditiones adegit.

Interim gravis ſeditio in Anatolia excitata eſt autore Burgluze Muſtapha, qui Scheichis Bedredinis Oeconomus quondam fuerat; Et Bedredines Muſæ Cadileſcherus erat. Iſnicæ poſtea juſſus exſulare. Muſtaphas igitur hic Prophetæ nomine aſſumpto, Aidinenſes ad ſe pertraxit,

traxit,&res novas moliri cœpit: Cuius potentiam crescentem metuens Bedredines, Isnica relicta, ad Isvendiarem profugit; unde navi Euxino superato in Valachiam se cōtulit. In seditiosum Prophetam Muchemetes Muratem filium misit, cum Baiazite Bassa eius expeditionis socio, qui commissa pugna, pluribus que utrinque cæsis, auctorem seditionis captum in frusta dissecuerunt. Et cum exercitu victore Manissam (quæ est Magnesia) properaverunt: ut illic tumultus à quodam Torlace Huggiemali motum composcerent: quem captivum cum aliquot alijs conjuratis suspendio affecerunt. Interim Serras urbem ad Hebrum sitam Muchemetes cepit. Sopeches Bedredines, qui in Valaciam profugerat, in agro Zagoriensi per suos publicabat imperium sibi divinitus esse destinatum: auctusque jam magnis copijs invasurus erat provinciam, sed à suis destitutus captusque adductus est Serras: consilioque Menlanæ Cheideri Persæ (qui sanctitatis nomine apud Muchemetem multam obtinebat autoritatem) suspensus est: Muchemetes aliquando post Prusam reversus vitam cum morte mutavit, Sepulchroque majorum illatus est.



VARNA TVVM ILLVSTRAT SVPERATO PĀNONE NOMEN
HÆC TIBI SED CHRISTO VINDICE FAMA VENIT.




VEXAT TE IMPOSTOR DVSMES: QVEM INFIDA TVORVM
TVRBA INSPERATA PRODITIONE IVVAT.



# AMVRATES



VCHEMETI VITA functo successit in imperio Turcico eius filius Amurates. Anno Christi 1422. Principio regni illius magni motus in Anatolia orti sunt, defectione Chusceinisbegi Ismiræ vel Smyrnæ Principis. Is enim cum Dusme Mustapha, qui se Muratis Gilderonis filium mentiebatur, & in oppido Vardario ad Axium flumen sito degebat; In arce Epidauri, & in Imbro, Lemnoque insulis captivus detentus fuerat à Græcis, regnante Muchemete primo, quo mortuo, uterque Amurati multum facesserunt negotij. Nam in eorum partes transierunt Enrenoses begi: quorum subsidiis Serras expugnavit. & Hadrianopolim per deditionem cepit. Amurates qui Prusæ in Brytinia tunc degebat, in Dusmen Mustapham expedivit Baiazitem Bassam cum instructissimo exercitu: Is postquam ad Hadrianopolim appulisset, ad Dusmen defecit, à quo Veziris dignitate donatus est. Coactis igitur ingentibus copijs, cum Cuseinebego & alijs trajecto Hellesponto Prusam contendit. A qua cùm unius diei abesset itinere, Vezirem Baiazetem bassam suspectum supplicio capitis affecit. A-

murates

murates autem è custodia carceris Tocatensis captivum revocavit Mechemetem begum Michalis filium, militiæque præfectum sibi adjunxit. Qui cùm ad Vlubatam urbem (quæ Lopadium olim vocabatur) venisset, castra metatus ad pontē Rhyndari, qui ex lacu Lopadio emanans, in mare se exonerat. Cum autem Mechemetem begum agnovissent ij, qui ad Dusmen defecerant, noctu trajecto fluvio ad Amuratem rediere, & se illi dediderunt. Miserant enim uterque legatos ad Imperatorem Constantinopolitanum qui ab eo auxilia poscerent: Sed Constātinopolitanus neglecto Amurate, suppetias Dusmi ferre constituerat: quod Muchemetes per transfugas intelligens, rumorem sparsit Græcos in Amuratis partes transijsse. Qua re attoniti omnes, qui Dusmem sequebantur, ad Amuratem se receperunt, vel sibi fuga consuluerunt. Ipse Dusmes Mustaphas ad Bugam profugit: & magna vi pecuniæ data Cadio Bugensi, ejus ope salvus evasit: acceptis enim ab eo navigijs prope Callipolim transfretavit in Romaniam. Hunc subitò Amurates subsecutus est cum omnibus copijs: sed cùm naves omnes à Dusme in terram subductæ essent, Amuratis conatum aliquandiu moratus est. Ad portum interim inopinatò maxima Genuensium navis appulerat mercaturæ gratia: cum ejus gubernatore pactus est, ut acceptis in singula capita ducatis duobus, copias omnes in adversum litttus trans Hellespontum veheret. Quod ubi factum est, soluto liberaliter naulo, in planicie Ezeæ consedit: Dusmes Mustaphas versus Boiairem oppidum vicinum se receperat, unde cùm Hadrianopolim contenderet, suis desertus est: Captus igitur in fuga, & ad Amuratem deductus, è pinnis mœnium Hadrianopolitanorum laqueo suspensus vi-

ſus vitam finivit. Amurates in throno regio conſtitutus, ab omnibus eſt Imperator ſalutatus. Sed paulo poſt cum exercitu in Aſiam redire coactus eſt, ut fratrem ſuum Muſtapham res novas molientem opprimeret: quem captum Iſnicæ necari juſſit, & Pruſam vectum in patris ſepulchro tumulari: id contigit Anno Chriſti 1425.

Reverſus iterum Hadrianopolim, in Valachiæ Vaivodam coactus eſt arma movere: cujus ditionem ferro ac flamma miſerè vaſtavit. Eodemque anno in Anatoliam regreſſus Iſmycæ Principem ſua regione expulit, impoſito urbi præſidio. Idem quoque fecit in ditionibus Menteſiana, Aedinenſi, Sarchania, & Chemidenſi, in quas deduxit colonias, quibus agros diſtribuit expulſorum incolarum.

Anno 1427. Stephanum Lazari filium Raxianorum 1427.
ſive Serviæ Deſpotam regno ejecit, quòd Georgio Stephani filio reſtituit; ſed rebellionem molientem iterum hunc expulit, & eius regiones Anno 1428. depopula- 1428.
tus eſt.

Anno 1429. Hoſerbegus Amurati militans in A- 1429.
natolia, Zietucam ditionem Turcico adjecit imperio. Anno 1431. ad oppugnandam Theſſalonicam copias 1431.
inſtruxit: Eam Andronicus Palæologus, Manuelis Græcorum Imperatoris antepenultimi filius, paulo ante vendiderat Venetis, permutatione facta cum Tarviſinæ civitatis reditibus. Theſſalonicam Veneti miſerant Rectorem Marinum Bondomerium cum titulo Comitis Theſſalonicæ: Sed urbs ab Amurate obſeſſa, oppugnata & capta eſt, cæſis defenſoribus, Venetorumque reliquijs navigio celeriter dilapſis.

Anno 1433. Alisbego Eurenosisbegi filio in Albania superato, belli negotium commissum est Sinanibego, Isacobego, & Turchanibego: qui cum Alibego iterum in Albaniam (quam Arnautlar Turcæ vocant) profecti, gravissima damna Epirotis intulerunt. Defecerat enim ab Amurate Georgius Castriota, qui Scanderbegus dicebatur, & Epirum patriam ditionem in libertatem vindicans, irritaverat Amuratem, cui à patre puer datus erat obses. Anno verò 1435. Amurates uxorem duxit
1435. Mariam Despinam Georgij Serviæ Despotæ, & Irenę Cantacuzenæ filiam. Hæc Irene soror erat Georgij Cantacuzeni nepotis Ioannis Cantacuzeni Imperatoris, ex Matthæo filio Albanensium Principe, ex hac Maria nullam prolem suscepit Amurates: nam Muchemetes ejus filius ex alia uxore illi natus est.

Anno 1437. Amurates cum exercitu venit in Ca-
1437. ramaniam, paceque cum Abrehimo Principe pacta in reditu Buruzen (quæ Cibyre olim vocabatur) ad Mæandrum situm oppidum occupavit. Eodem anno profectionem instituit in Hungariam, & Semendriam sive Sinderoviam ad ripam Danubij sitam non procul à Belgrado & à filijs natu majoribus Georgij Despotæ Serviæ defensam in ditionem recepit. Duo Serviani fratres Stephanus & Georgius capti, candenti ferro oculis adposito, visu privati sunt. Nam horum pater cum Lazaro filio juniore ad Albertum II. Imperatorem Germanorum profugerat imploraturus auxilium, quod cùm tardius venisset, capta Sinderovia Epidaurum, quæ est hodiè Ragusa, cum filio Lazaro se recepit, deportato illuc thesauro, qui æstimabatur precio quinquies centenorum millium ducatorum. Sed cùm illum à Ragusinis repeteret Amu-

rates,

rates, is cum facultatibus tranſijt ad Vladiſlaum Polonum regem, & Alberti II. in Imperio ſucceſſorem, Hungariæque regem: cuius ope poſtea in regnum eſt reſtitutus.

Anno 1438. Taurinum, quod nunc Alba Græca vocatum, Amurates invaſit, quam Ioannes Auranes defendebat. Situm eſt Taurinum ad Savi in Danubium confluentem: Sed cùm fruſtra id obſideret, re infecta, ſe ad Novogrodem urbem contulit, in Serviæ finibus ſitam; quam expugnavit, omni agro finitimo in deditionem recepto. Amurates interim redijt Hadrianopolim, relicto exercitu Meſitibego Romaniæ Beglerbego, quem juſſit ut per Valachiam in Erdelium, ſive Tranſylvaniam penetraret, & regionem vaſtaret. Tranſilvaniæ præfectus erat Ioannes Huniades Matthiæ regis Hungariæ pater, vir ſtrenuus & magnanimus: qui Meſitembegum cum viginti Turcarum millibus fudit, & interemit, anno Chriſti 1440. Hac tam inſigni ſuorum clade intellecta Murates irritatus, Tibiſcam, que nunc Sophia dicitur, Bulgariæ urbem venit: unde Scachum Abedinem baſſam cum univerſis Romaniæ copijs Acanziis & Genizaris expedivit, ut Tranſylvaniam depopularetur. Sed impreſſione ſubita in Turcas facta, Huniades eorum exercitum, qui octuaginta hominum millibus conſtabat, fudit, & ipſum Abedinem interemit. Cæſa eo conflictu triginta Turcarum millia, capta quindecim millia: id accidit anno Domini 1441. 1441.

Factum eſt ut eodem tempore Aladinus Amuratis filius, quem pater unicè amabat, è vivis decederet Amaſiæ: cuius mors graviſſimè miſerum afflixit patrem. Is cùm eſſet in luctu Vladiſlaus ex Iagellonia Polonorum

ſtirpe natus (quem Hungari ſpreto Ladiſlao Auſtriaco Alberti II. Imperatoris poſthumo, regno præfecerant) cum Huniade Erdelij Bano, ſive Tranſylvaniæ Vaivoda, & Georgius Serviæ Deſpota Stephani filius, junctis copiis ad Cliſſuras Iſladinas, quæ ſunt anguſtæ fauces in Hæmo monte, per quas tranſeundum eſt profecturis ex Bulgaria in Thraciam, venerunt. Adverſus Chriſtianos miſſus eſt Caſanbaſſa cum Turchane bego conflictuque habito, Turchanes metu diffugit. Caſanes verò cum ſuis fuſus eſt, & interemptus. Induciæ pactæ inter reges: Georgiusque Deſpota in gratiam cum Amurate rediit, & Serviæ dominum recepit: ea tamen conditione, ut quotannis tributi nomine penderet Turcæ dimidiam partem redituum ſui Deſpotatus.

Dum hæc in Europa gererentur, in Aſia res turbabat Abrahimus begus Caramaniæ Princeps, in quem Amurates miſit exercitum, qui illius temeritatem refrænaret. Caramanus cùm ſe viribus imparem ſentiret, miſſo ad Amuratem Saruma Iacupe, qui vir ſanctus exiſtimabatur, utrumque ad reconciliationem adduxit.

Amurates autem cùm ſenio gravaretur, & ad res gerendas minùs eſſet idoneus, Maniſam profectus, ſponte ſe abdicavit imperio, filio Muchemete ſibi ſubſtituto. Cui, quia per ætatem tanto oneri non ſufficeret, adjunxit Chelilem baſſam Vezirem, cum Menlana Cuſrone Cadileſchero, quorum fidei filium cum imperio commiſit. Interea Vladiſlaus Hungariæ rex cum Huniade violatis induciis decennalibus, quas priore bello pacti erant cum Turcis, arma expediunt, advocatis in hanc expeditionem Germanis, Polonis, Boëmis, Italis, & Valachis, quorum exer-

rum exercitus superabat numerum octuaginta millium hominum. Quod factum est Eugenij IIII. P. M. opera: qui Iulianum Cæsarinum Cardinalem legavit ad Vladislaum juvenem, gloriæque avidum, ut illum ad bellum commoveret. Pontificio decreto refragabantur plurimi viri boni; qui asserebant neutiquam licere pacta rescindere, quæ solenni sacramento stabilita essent. Iurejurando enim sese ad eas inducias adstrinxerant Christiani cum Turcis, cui pignori dederant hostiam sacratam, quæ vocatur Corpus domini. Vicit tandem Pontificis autoritas: qui dicebat conditiones pacis non esse servandas, quæ in detrimentum Reipublicæ Christianæ pactæ essent, & quæ à sacra sede Apostolica non essent adprobatæ. Vladislaus igitur cum suis trajecto Danubio ad Albam Græcam venit: Materam oppidum, quod Pezechium vocatur, & Sunium vi cepit, ubi quinque Turcarum millia cæsa sunt, Nicopolitanumque agrum depopulatus est. Burvada sponte deditionem fecit, & præsidium Christianum admisit. Mechemetes Syrusisbegi filius Nicopolis begus, eos cum suis insecutus est; ex ijs aliquot occidit, alios captivos ad Amuratem misit. Qui de hoc motu certior redditus Manissa relicta Callipolim trajecit, ubi jam Classis Italica erat, impeditura Principis in Europam trajectum. Sed Amurates ad Dianæ Hierum, quod hodie Turris sacra dicitur, Asiarico littori adjacens ad augustissimum Propontidis transitum, navigio trajecit ad Neocastrum, ad unum supra Constantinopolim Germanicum milliare, statimque ex Hadrianopoli discedēs in hostem venit, qui ad Dionysiopolim sive Odyssum (quæ Varna nunc dicitur) ad Euxinum Pontum sitam consederant. Ibi acerrimè inter utrosque pugnatum est,

Vladiſlao dextrum cornu, Michaeli Zilagio (qui Niger dicebatur,& cuius ſororem Huniades duxerat) ſiniſtrum regente. Huniades cum ſtrenuiſſimis equitibus, qui ab Hungaris Vitezides vocantur, Anatoliæ Beglerbegum invaſit, fudit, & interemit. Concuſſis hac cæde rebus Turcicis, & jam pleriſque in fugam verſis, Amurates, quid agendum eſſet non videns, ſublatis in cœlum manibus, eductaque à ſinu hoſtia conſecrata, quam prioribus induciis pignori acceperat, in hæc verba prorupiſſe fertur. Chriſte, ſi Deus es, ut tui ſectatores aſſerunt & credunt, vindica illorum perfidiam, qui te mihi pignori dedêre, nihilo tamen minùs pacem tam religioſe ſancitam per ſummum ſcelus violant. Dum hæc exclamaret, Vladiſlaus rex ſummo conatu in Amuratem delatus, equo impingente excuſſus eſt, & humi proſtratus, ad quem accurrens Cheſerbegus lapſum opreſſit, & capite truncavit. Caput Regis cum dextera & armis miſſa ſunt ad Tatarorum regem, ut perfidiæ autorem cognoſceret. Vladiſlao interempto Chriſtiani cum Huniade perterriti in fugam verſi ſunt, quos Turcæ proſecuti ſunt, magnũq; ex iis numerũ proſtraverunt. Alij currus & impedimenta diripuerunt; & ingenti præda ditati per triduum hilaritati indulſerunt congratulabundi, de tam inſigni tamq; inſperata victoria: Pugnam hanc commiſſam Bonfinus ſcribit 10. Novembris anni 1444. cæſaque Turcarum triginta millia, Chriſtianorum vero decem millia.

Victor Amurates reſtituta Muchemeti filio Imperij adminiſtratione Maniſſam iterum ſe recepit. Sed anno ſequenti, qui fuit 1445. iterum revocatus eſt à Chelibaſſa Vezire, & reliquis Principibus, quibus erat commiſſus

missus juvenis Imperator Muchemetes. Is congregato exercitu Peloponnesum irrupit, Gereniamque urbem expugnatam incendit & delevit. Vnde in Epirum castra contra Georgium Castriotam Scodræ dominum, quem multis expeditionibus antea susceptis superare nequiverat: Frustraque rebus in Albania tentatis cum magna suorum clade & jactura discesserat. Eius irritatus insolentia, statuit omnē lapidem movere, ut illum vel opprimeret, vel debilitatum in officio coërceret. Cum igitur Albaniam infestis copiis ingressus esset, Cotziacum urbem expugnavit, totamque regionem crudeliter vexatam diripuit.

His dum occupatus detineretur Huniades Transylvaniæ Vaivoda cum numeroso Germanorum, Saxonum, Hungarorum, & Valachorum exercitu ad Albam Græcam venit, progressusque est ad Cosovæ campos: Quibus intellectis, Amurates Sophiam contendens quantas potuit copias celeriter conflavit, advocato ad se Mechemete filio jam adultiore. Interea Valachi trajecto Danubio provinciam infestabant: in quos delati Mechemetes begus, Isabegus, & Vsguris filius cum Acanziorum copiis eos repressere & in fugam vertêre.

Iam pervenerat Huniades ad Cosovæ planiciem, cum viginti duobus hominum millibus, Turcicus verò exercitus continebat 10000. peditū Ganizarorū 15000. Azapionum præter alios Europæos Asiaticos qui ad 50000. accedebant. Conflictu habito sunt multi utrinque cæsi superati tandem sunt Christiani, & in fugam

versi

verſi Muchemetes cum patre & exercitu victore Hadrianopolim rediit anno 1448. Vnde iterum Amurates iter inſtituit in Epirum contra Georgium Caſtriotam, atque in obſidione Croæ metropolis Albaniæ, cù m ea potiri non poſſet, mortuus eſt.



AMV-



G


PLVS TIBI QVAM NVLLI INDVLSIT FORTVNA: SED OLIM
HÆSIT IN EPIRO LAVS TVA FACTA MINOR.
SVLTAN MVCHEMET CHAN.
EVROPAM ATQVE ASIAM HIC FELICIB' OCCVPAT ARMIS
GRÆCVM ET BITHYNVM DVM RVIT IMPERIVM.



# MVCHEMETES.



MVRATI mortuo succesſit Muchemetes filius, anno Chriſti 1450. Is in obſidione Croæ ab exercitu ſalutatus eſt Sultanus. Qui ſublato patris corpore Hadrianopolim venit, vnde in Aſiam traijciens magnifico illud Pruſæ tumulauit apparatu. Vtque ſolus imperaret, Tueſinem fratrem, ſed diuerſa matre natum, Moſis ballæ opera interemit. Idemque de alio fratre Calepino facturus erat, quem Amurates ſuſceperat ex filia Sponder begi Penderatiæ Satrapæ. Sed juuenis clā Conſtanti. abductus in Italiam eſt ad Calixtum III. P. M. Principio ſui imperij per Legatos non ſatis feliciter pugnauit in Albania, contra Georgium Caſtriotam, qui Iſchenderbeg dicebatur. At cum de Conſtantinopoli occupanda jampridem cogitauiſſet, congregatis vndequaque copiis tam ex Aſia, quam ex Europa, exercitum congregauit ducentorum millium hominum: conuectisq; ingentibus tormentis & machinis bellicis ad vrbem peruenit: quam obſeſſam & vi expugnatam tantis conatibus & militum feruore, vt illam occupauerit 29. Maij anno Chriſti 1453. Vrbem ingreſſus in Hippodramo (quod Atminda dicitur) columnam æ-

neam vidit, cui æneï ſerpentes triplices in ſummitate erant impliciti, quorum capitibus olim Conſtantinus magnus vrbis inſtaurator tripodem Delphici Apollinis imponi juſſerat; adhibitis certis cerimoniis, & incantationibus magicis, quibus quandiu Stichioſis illa, (ſic enim vocantur, quarum autorem Apollonium Tyaneum volunt hiſtorici) ſuperſtes maneret, nullus ſerpens in vrbem ingrederetur: eiuſmodi occupata AEgypto per Selymum dicuntur fuiſſe ad Nilum, quæ crocodilorum impetum & ſæuitiam impediebant. Vnius igitur ſerpentis ænei cum Puſdigano, ſiue claua ferrea mutilaſſet Muchemetes, ſubitò magnus ſerpentum numerus in vrbe viſus eſt: ſed de hac re monitus Princeps, à cæterorum fractione abſtinuit: factumque eſt, vt poſtea ſerpentes illi fuerint innoxij. Equeſtrem tamen ſtatuam æneam ibidem erectam, qua peſtis cõtagium ab vrbe auertebatur, deijci juſſit & comminui. Conſtantinopoli occupata, poſtquam animum refeciſſet in montanis Aſiæ ad Olympum, bellum mouit contra Scanderbegum: cui ſtatim ademit Sfetigradum
1453. anno 1453.

Pauloque poſt eadem vſus felicitate Nouogrado potitus eſt. Sed Albam Græcam, quæ Belgradum dicitur, non eodem ſucceſſu oppugnauit: in cuius obſidione Dait caratzes Baſſa Europæ Beglerbegus interiit anno Do-
1456. mini 1456.

1458. Anno tandem 1458. Muchemetes in Peloponneſo vrbem Gordum cum aliis aliquot oppidis cepit: annoq; ſequenti Semendriam ſiue Sinderouiam à Stephano Bozinenſi Principe per deditionem accepit. Anno autem
1461. 1461 in Anatoliam profectus Caſtamonem Paphlagoniæ vrbem, Sinopem Amaſiæ metropolim, & Trapezun-

tem Comnenorum Imperatorum ſedem, (quæ Tarabosa dicitur) Dauide Comneno cum liberis cæſo, ſuæ adiunxit ditioni.

In eum Vladus ſiue Vladiſlaus Draculæ filius Valachiæ Voivoda cum conſpiraſſet, Muchemetes eius ditionem occupauit: Vaiuoda cum aliquot ſuorum euadens fugit in Hungariam ad Matthiam regem Ioannis Huniadis filiũ, qui in regno ſucceſſerat Vlad. Auſtr. Pragæ extincto.

Anno 1462. Lesbum inſulam, quæ nunc Mithylene dicitur, occupauit, expulſo Kyriaco Cateluſio, qui inſulæ dominabatur. Is enim Genuenſis erat genere: Lesbi autem poſſeſſio ad eos peruenit: cum anno 1355. Franciſcus Cateluſius Callo Ioannem Palæologum Andronici II. filium contra Ioannem Cantacuzenum tutorem ac ſocerum, Imperiique vſurpatorem adiuuit, quem pro accepto beneficio gratus Lesbo donauit, & illi ſuam ſororem deſponſauit: ab illo Franciſco longa generis ſerie ortus eſt hic Kyryacus, quem Muchemetes expulit, occupata inſula. 1462.

Anno 1464. Muchemetes Bozinæ ducatum adortus, Stephanum Boſinæ regem Seruiæ, Raſciæque Deſpotam ad colloquium per dolos ex caſtello Iaitzano blandiciis evocatum, captumque vivum cute crudeliter exuit. Iaitzamque, Hertzegouinam, & Couadzam ſui iuris fecit. Anno ſequenti iterum in Albaniam profectus, omnem Caſtriotæ ditionem ſubiugauit. Tandem in Anatoliam ſe conferens Giolchiſaren arcem expugnauit in Caramania anno 1469. 1464.

Neque multo poſt Eubœam inſulam (quæ Negropontum noſtris dicitur, Turcis verò Egripos) inuadit. Ea ditionis erat Venetorum defendebaturque à Ludoui- 1469.

co Calbo, & Paulo Erizzo prætore Chalcidis vrbis præcipuæ in ea insula. Qua capta Pauli Prætoris filia ob singularem formam ad Muchemetem perducta est: sed mori maluit, quam illius complexus admittere.

Interea Iusufzes begus dux militiæ Vsunchasanis regis Parthię magnis viribus Tocatam Armeniæ vrbem depopulatus est: & in Caramaniam progressus, magnas clades incolis intulit. Sed Sultanus Mustaphas Muchemetis imperatoris filius Amasiæ præfectus Parthis cum exercitu factus obuius, eos fudit, Iusufzemque cepit, & ad patrem captivum misit, anno 1473.

Irritatus Muchemetes hac Parthorum insolentia, exercitum octuaginta millium hominum ex Anatolia collegit, & in Parthiam contendit cum filiis Mustapha, Baiazite, & Zenie: progressus in Asiam, Corycum, quod Turcæ Charachisar vocant, occupauit. Vsuncassanus obuiam Turcico non prodijt imperatori. Sed suum militem diuersis in locis in insidiis statuit: in quorum partem inopinatò incidit Chas Murates Romaniæ Beglerbegus, & à Parthis oppressus est, & cæsus, fusis fugatisque Romaniæ militibus: in quos cum sine ordine ferrentur Parthi in aciem, cui præerat Muchemetes, inciderunt, & grauiter excepti: laborantibus Vsuncasanus suppetias ferens, graue prælium vtrinque commissum est, Machemete Bassa & Dautebassa Anatoliæ Beglerbego strenuè pugnantibus. Victoriaque in Turcas inclinante cæso Zeinelo Parthorum regis filio, reliqui in fugam versi sunt: Castra eorum direpta sunt, & ingenti præda Turcæ potiti. anno 1474.

1474. Muchemetes postea in Stephanum Moldauiæ Vaivodam arma mouit, qui Carabogdaniæ princeps erat.

Sed

Sed ab obſidione Scutari, quæ Iſcodara dicitur, repulſus eſt, non leui ſuorum clade accepta. Atq; ſub hoc tempus Muchemetes Vezirem ſuum Machmutem baſſam in fruſta conciſum autoritate & vita priuauit. Anno deinde 1476. 1476.

Geducem Achmetem baſſam cum exercitu decem millium Azaporum, totidemque Genizaris & aliis militibus miſit ad mare nigrum, hoc eſt, ad Euxinum Pontum. Is Cofen, quæ eſt Theodoſia, cum tota Taurica Cherſonneſo in Turcarum poteſtatem redegit, cum Kerimis, Crimiis, & Deſtenſibus Tataris. 1476. 1477.

Anno ſequente Muchemetes ingenti apparatu Moldauiã ingreſſus, Vaivodam fudit. Progreſſusque ad Moravam fluuium, Semendriã Raſciæ metropolim (quam anno ſuperiore Matthias rex Hungariæ tribus caſtellis circa ædificatis obſidione cinxerat) liberauit, Hungaris repulſis.

Anno vero 1479. Iſcodaram obſedit, preſſamque rerum omnium penuria in ſua poteſtate recepit. Nec multo poſt ab Hungaris cæſus eſt Balibegus, Halibego & Iſabego ſibi fuga conſulentibus. Muchemetes interim Meſitem baſſam ad oppugnandam Rhodum mittit. Inſulæ præerat Petrus Albiſonius Gallus, equitum S. Ioannis Magiſter, quem Megalo maſtaro vocant. Is fortiter Rhodum defendens Meſitem baſſam Vezirem genere Palæologo natum ab obſidione repulit, interfectis plus quam triginta Turcarum millibus. 1479.

Eodem tempore alterum Vezirem Geducem Achmetem baſſam cum valido exercitu, & potentiſſima claſſe miſit in Italiam: qui Hydruntum Apuliæ vrbem (quæ è regione Aulonæ ſexaginta interiecto maris Hadriatici

ſinu

ſinu milliaribus Græcis diſtat (vi expugnauit & diripuit: captiuos omnis conditionis homines in ſeruitutem redegit, ipſumque Patriarcham ad aras profugientem ſerra diſſecari juſſit. Clades hæc Chriſtianis illata eſt anno
1481. anno 1481.

Hydrunto expugnata procul dubio Romam progreſſurus videbatur, niſi morte fuiſſet præventus Muchemetes imperator. Nam cum in Aſiam traiecißet invaſurus Aegypti Sultanum, qui ſuos Legatos ab Vſumchaſane Perſarum rege cum muneribus redeuntes violaſſet: Tum quòd vectigal exigeret à Turcis, qui religionis gratia Mecham ſe conferunt. Cum enim Scuturium cum claſſe traieciſſet & ad Chiſivichen venturus eſſet, qui locus itinere vnius diei diſtat à Nicomedia (cuius planicies ad mare Aſtracenum pertingit) in morbum lapſus eſt: ad Clyzomenem delatus, locum amœnum & aquis irriguum, quò ſe olim Imperatores Conſtantinopolitani conferebãt & recreabant: ideo pratum Teggiurum, hoc eſt, Principum Grẹcorum, Turci vocant: illic Muchemetes cum perveniſſet, morbo preſſus extinctus eſt, V. nonas Maias. anno Chriſti 1481.

H

OPPIDA MONTANÆ SVBIGIS DVM IN FIDA CHIMERÆ
INTE TORLACES TELA CRVENTA MOVET.




NAVPACTVM VENETIS ADIMIS: TVA FRÆNA METHONE
ACCIPIT: AT GALLI LEMNIA VALLA PREMVNT.



# BAIAZETES II.



ECHEMETE in Aſia vita functo Genizari rediuerunt Conſtantinopolim,& vrbem diripuerunt. Pauloque poſt Sultanus Baiazetes, ex Amaſia in Europam traiiciens ab omnibus Imperator ſalutatus eſt. Sed eius frater Zemes ex Caramania Pruſam Bithyniæ venit,ibique ſibi ſedem ſtatuit: in quem ſtatim Baiazetes expediuit Geducem Achmetem baſſam ex Apulia accerſitum. Is primò Zemen Pruſa expulit,qui in Caramaniam fugiens illius quoque perſequentium hoſtium violentia extruſus eſt : quæ dum gererentur in Aſia, Itali recuperauerunt Hydruntum, auxilio vſi Matthiæ regis Hungariæ,eo tempore bello clari, Turcasque, præſidiarios omnes in ſeruitutem redigerunt : acta ſunt hæc anno domini 1482.

Zemes ſecundo prælio victus, deſperatis rebus in Rhodum profugit:ſeque Petro Albuſſonio Megalomaſtori rradidit:agebat enim tunc annum vigeſimum octavum. Id vbi reſciuit Baiazetes, legatos ad Megalomaſtorem miſit cum muneribus, qui illum rogarent, vt

fratrem Zemen diligenter adſeruaret:ad cuius alimenta quadraginta millia ducatorum ſingulis annis ſe promiſit daturum quandiu Zemes viueret, & perpetuam cum Chriſtianis pacem ſeruaturum: quod poſtea bona fide præſtitit. Vt autem ſecurius viveret Baiazetes, Megalomaſtor Zemen in Galliam miſit: qui aliquandiu vixit in Burgo novo arce Rhodiorum equitum. Vnde Romam ad Innocentium VIII. Pontificem maximum deductus eſt:& illic vixit vſque ad Alexandri VI. Pontificatum. Cum Karolus VIII. Galliæ rex regnum Neapolitanum occupaturus veniſſet: Is Zemen impetrauit ab Alexandro,cuius ope dicebat ſe recuperare poſſe Imperium Cõſtantinopolitanum.Sed Pontifex propinato Zemi venenato poculo, paucos poſt dies lenta tabe Terracine extinctus eſt. Eius filius qui paulo ante à patre apud Alcairẽſem Sultanum fuerat relictus cum matre, cum intellexiſſet Patrem Rhodum veniſſe,eò nauigauit, & Chriſtianam religionem amplexus eſt:& vxorem duxit,ex qua ſuſcepit duos filios, & totidem filias, vixitque illic priuatus, donec Rhodo à Soleimane capta,filios,(qui ſe deſerturos religionem Chriſtianam pernegabant) ſupplicio adfecit, filias verò Conſtantinopolim duci præcepit.

1483. Anno 1483. Baiazetes ſuos omnes Vezires ad ſe inuitauit,& conuivio exhibito,vinum cum iis bibit: Sed Geducem Achmetembaſſam interfici juſſit, quod eius potentia Principi jam cæperat eſſe formidini:quod ad illum ſæpe Genizari itabant, publicèque vociferabantur, niſi imperator ipſis liberalius prouideret, ſe accerſituros ex Italia Sultanum Zemen,& pro Imperatore habituros. Eodem quoque anno mortuus eſt in aula Baiazetis Caſanes Ibrahimus Caramani Principis ſolus ſuperſtes filius, poſt

post cuius mortem Caramania siue Cilicia ad Othmannorum redacta est imperium. Baiazetes triennium fere integrum in otio transegit absente Zeme, ac Tartaris in societatem & amicitiam receptis. Classem postea magnam cum terrestribus copiis instruxit, vt bello Carabogdaviæ Vaivodam lacesseret: cuius regionem cùm esset ingressus, omnia longè lateq; depopulatus est. Vrbem Chilium (quæ fuit Achillæa) cepit, arcem dedente Memalaco Castellano. Deinde Moncastrum cum sibi dedi postulassent Turcæ ea conditione, vt cum vita facultates saluę relinquerentur incolis, pacta non præstiterunt, vrbe occupata. sed plus quam quingentas ciuium familias Constantinopolim transferri jussit Baiazetes anno 1484. 1484.

Sultanus interim Memphiticus, qui Alcairanus dicitur collecta magna militum manu duce Vsunesbego ad Adanen & Tarsum Ciliciæ vrbes substitit. Bellum hoc iam à Muchemete cœptum fuerat quod Baiazetus absoluere statuit, nouis motus iejuniis, nempe quòd ad Sultanum Aegypti Zemes eius frater se receperat, & illum pecunia iuuerat, detinuissetque aliquandiu Zemis vxorem & filium, & quòd se insolètiùs gereret in Turcas Mecham petentes religionis ergo. Partes igitur Baiazetis tutabantur Anatoliæ Sangiachi, & Ferhatesbegus Baiazeti gener: Caramaniæque Beglerbegus Caragossa: Pugna inter eos acerrima commisa est, Turcæque à Sultaninis fusi occiso etiam Ferhatebego. Neque multo post Baiazetis jussu Muchemetes begus Cherefisbegi filius, Cum Achmete Herzecogli vltimus Bozinensis ducis filio qui Romaniæ factus erat Beglerbegus, copias in Anatoliam duxerunt, & juncti cum Asiatico milite Sultaninos iterum secundo prælio invaserunt, quo captus est Achme-

tes Hertzecogli, & ad Vſbegum cuſtodiæ traditus eſt. Quod vbi inaudiſſet Baiazetes Daudembaſſam iterum cum potenti exercitu expediuit: qui non temere obiiciendum eſſe AEgyptijs duabus victoriis ſuperbientibus ratus, retroduxit exercitum: Ad quem venit Aladentes Dulgadires Princeps; cuius ditio extenditur inter Syriam, Berrhœam, Amaſiam, Adanam, & Tarſum, inter montes Cappadociæ. Is à Sultano AEgypti deficiens ad Daudem ſiue Dauidem baſſam, venit, à quo benignè eſt exceptus, & Baiazeto commendatus. Principis Turcici filiam filio ſuo vxorem dari procurauit. Daudes Varſacenſem ditionem ingreſſus, quæ eſt in Caramania; Principes qui hactenus imperio Baiazetis ſubiici recuſauerant, partim occidi, partim in vincula coniici juſſit, alios in gratiam recepit: reliquos Phrygiæ maioris ſatrapas ad pacem coegit.

Aliquanto poſt Baiazetes Eunuchum Alim baſſam ducem exercitus deſignatum miſit in Anatoliam, qui Adenorum arcem inſtaurauit, & neceſſariis rebus muniuit, præſidioque firmauit: in eum Sultanus AEgypti militem duxit, qui à Turcis ſuperatus eſt, & cæſus. Sed iterum cum expeditiore exercitu reverſus Sultanus, Adenam Turcis ademit, & arcem demolitus eſt anno
1490. Dnmini 1490.

Baiazetes iterum comparato exercitu Iſchenderem begum Michalis filium illi præfecit, illumque miſit in Anatoliam, vt Aladeuli Dulgaduris Duci bellum inferret: is Turcas inopinato aggreſſus duos Iſchenderis filios interemit, patrem captivum miſit ad Sultanum Alcairi, Mameluci quoque AEgyptij in Caramaniam facientes impetum, Larendam diripuerunt & incenderunt, cum aliis

aliis oppidis ac vicis vicinis; vbi periit Iacubespegus Vſun caſanis filius. Sed miſſis vltro citroque legatis, pax tandem ſancita eſt inter Baiazetem & Sultanum, qui Adanam & Tarſum Turcæ reſtituit: id factum eſt 1491. erant enim hæ vrbes ad Caramaniam pertinentes: quas Baiazetes extincta Caramanorum gente ſui juris fecerat, & eas Sultanini duces paulo antea occupauerant.

His peractis, Turcicus Imperator arma movit in Albaniam; & Chimeriotas, montanos Epiri oppreſſit; oppida eorum cepit & incendit, incolis in captiuitatem abductis.

In hac expeditione Torlaces quidam monachus Turcicus, Eleemoſynam ſe ſimulans petere Baiazetem acinace ſtricto, quem filtro tegebat, interfeciſſet, niſi Iſchenderbaſſa ſicarii impetum puſdigano, ſiue maſſa ferrea, qua illum humi proſtrauit, diuertiſſet. Quem ſtatim aggreſſi milites fruſtilatim diſcerpſerunt: quod contigit anno domini 1493.

Anno 1494. Iacupes Aga Eunuchus Hungariam cum novem millibus equitum ingreſſus eſt: illi occurrit Emericus Drenzenus cum ſeptem hominum millibus, & alia ruſticana multitudine, quæ ad quadraginta millia accedebat: erat enim Banus Hungariæ, qui bellicis rebus præerat.

Diſcordia autem inter eum & Hungaros orta, Bernardino Frangipane pugnā ſuadente contra aliorum voluntatem, fuſi ſunt, & maxima clade affecti.

Anno 1498. Baiazetes inſtructa claſſe Peloponneſum petiuit, Naupactumque (quod hodie Italis Lepauto Turcis verò Inebechti dicitur) Venetis ademit: propterea quod Georgium Ceryovitzium ditionis, illius

quæ

quę Cataro vicina eſt, regulum protegendum ſuſcepiſſent. Venetis opem tulit Ferdinandus Hiſpaniæ rex miſſo in eam expeditionem Conſalvo Magno: qui coniunctus claſſi Venetæ, Cephaleniam Turcis ademit, & S. Mauram oppidum munitum prope Patras & Naupactum. Aduenerunt etiam ad hoc bellum Francorum naves auxiliatrices, à Ludovico X I I. Galliæ rege miſſæ quas ducebat Philippus Cliuenſis.

Is cum manus cum Turcis conſereret, neque ſuis militibus laborantibus ſuccurrerent Venetorum claſſes, quibus præerat Antonius Grimanus: re infecta ſe ſubducens vela dedit, & Maſſiliam remeauit.

Naupactenſes, cum ſibi præſidium adferri non viderent, ſeque terra marique obſeſſos ſentirent, claues vrbis ad Baiazetem detulerunt, ſeque eius poteſtati comi-
1499. miſerunt anno 1499.

Sequenti æſtate Hadrianopoli collecto iterum exercitu Baiazetes in Peloponneſum venit, Methonemque vi captam diripuit; maribus, quotquot in vrbe adultiores invenit, immaniter trucidatis, puerisque & mulieribus in ſeruitutem abactis. Horum cladem cum audiuiſſent Coronenſes Baiazeto ſe vltro dediderunt, an-
1500. no 1500.

Dumque huic bello intenti eſſent Turcæ, Veneti cum auxiliari claſſe, quam Ferdinandus Arragonum & Caſtellæ rex Caroli V. avus maternus, duce Conſalvo miſerat, ſubſidiisque à Ludovico Gallorum rege acceptis, quas Philippus Raueſtanus ex Cliuenſium Principum familia oriundus adduxerat, omniumque claſſis continebat circiter hominum decem millia: Hi omnes Mitylenem vrbem Lesbi magna tormentorum bellicorum violentia

olentia adorti, ita concusserunt, vt parum abesset, quin ea potirentur: nisi subitò expeditissima classe Constantinopoli missa, Turcæ hanc obsidionem soluissent, Ravestanus cum suis nauibus discedens, ad Citheram insulam, quæ Serigos dicitur, naufragium passus, cum reliquijs exiguis suorũ vix salvus euasit. Veneti spe sua deiecti muneribus per Legatos ad Baiazetem missis, illius animum placatum reddiderunt: illique restituerunt Leucadem munitissimum oppidum, quod hodie S. Maura vocatur: hæc acciderunt 1501.

Eo tempore in Tekiensi regione, (quæ est Bithyniæ & Ciliciæ vicina, contineturque Phrygia maiore, quatenus in mediterraneas vergit, versusque Cappadociam Armeniam, & Ciliciam se porrigit) vir fuit primarius nomine Chasanes Chelifes: is filium habuit Scachoculum, qui Propheta sanctissimus ab omnibus passim habebatur: ad quem etiam Baiazetus septem asprorum millia solitus erat mittere, latitantem in spelunca quadam, antequam illum sectæ alienæ autorem resciuisset.

Is occupato bellis Baiazete, ex antro suo prodiens, adiutusque innumera suorum sectatorum multitudine, tempore nundinarum Attaliam vrbem Pamphiliæ, quæ hodie Settelia vocatur, ingressus, eam diripuit, & Cadium eius in frusta dissecari iussit. Missisque ad finitimas provincias quibusdam suæ sectæ hominibus, proclamari præcepit, vt ad se omnes cum armis properarent, qui suæ saluti vellent prospectum. Statimque factum est, vt rebellium numerus excesserit decem millia: Cum quibus Anatoliam Scachoculis ingressus, Caracossam bassam sibi occurrentem superatum & captum palo infigi iussit. In perdueles exercitum duxit Corcutes Baiazetis filius,

I qui

qui & fusus, fugatusque est. Turbatus propter hos seditiosorum motus. Baiazetus Alibabassam cum quadraginta millibus hominũ & quatuor millibus Ianitzarorum misit in Asiam; cui adiunxit filium suum Achmetem Amasiæ præfectum: antequã eo venissent Keiter bassa Beglerbegus Iconij, & Zindes Kemalesbegus seditiosos Caramaniam ingressos adorti sunt, à quibus Turcæ sunt superati, bassa vtroque capto, & capite truncato. Victores versus Zibucciam planiciem profecti sunt, vbi ab Alibassa excepti, ad manus conserendas coacti sunt, eo prælio Chasanes Chelifes Scachoculis pater sagitta ictus periit: & Alibassa temerè in hostes irruens occisus est. Scachocules victoria, ingentique præda potitus in Parthiam iter instituit, versus Tebrisium. Cumque esset in itinere occurrit illi Caravanna Ismaelis, Parthorum regis, quæ sericos pãnos vehebat. Hanc aggressi milites Scachoculis, homines interfecerunt, & merces diripuerunt. Cum Tebrisium venissent Ismael latronum duces supplicio puniuit, & seditiosam multitudinem nobilibus & principibus Parthorum mancipia dedit.

Baiazetus interea pedum doloribus & senectute pressus Hadrianopoli, quæ est ad Rhodopem montem sita, degebat, quo pauli antò se receperat propter terræmotum, & pestem, quæ Constantinopoli grassabatur. Is cum de successore imperii cogitaret, mortuis jam tribus filiis natu maioribus, Schiansciа, Mechemete, & Alensciato: illi tres adhuc restabant, Achemates, Corcutes & Selymus. Achomatem sibi succedere cupiebat Pater: Sed Selymus natu minor instructa classe ex Trapezunte per Euxinum Pontum in Tauricam Chersonesum navigat ad Meche-

Mechemetem Præcopiensium Tatarorum regem, qui Cophæ habitabat, Selymoque prius filiam suam dederat vxorem. A socero gener consilium opemque flagitat in rebus dubijs. Qui in vrbe Zabaca convocatis ex Coppa & Tana celeberrimis ad Tanaim emporiis auxiliari exercitu, novam classem instruit, illiq; adjungit equitum millia quindecim.

His auctus copiis traiecto Boristene, per Valachiam prope Cheliam vrbem Selymus Danubium traiecit: naues autem mari subsequi jussit, & ad Varnam terrestres copias expectare ad oras Bulgariæ & Thraciæ.

Baiazetes filii ferociam animumque ambitiosum iam pridem suspectam habens, missis ad eum legatis (cum eum cum Tatarico exercitu venire audivisset) illum monet amicè, vt ab incepto desisteret. Is patri respondit se Achomatis fratris lacessitum injuriis ex Asia discessisse & in Europam venire, vt luculentiora dominia in hostilibus provinciis adipisceretur, quam quæ illi tradita essent à patre in sterili & scopuloso Colchorum regione.

Baiazetes vt filij animum irritatum aliquo pacto leniret, Samandriam vrbem Misyæ & regione Belgradi positam eius adiunxit imperio. Addidit & donum sexaginta millium ducatorum, & mille vestes tam sericas quàm laneas, cum copiosa annona, quæ omnia suis distribueret militibus.

Selymus interim cum adiret Achamatem ex Cappadocia cum exercitu ad Baiazetem properare, instructus expeditissimo Tatarorum equitatu Hadrianopolim contendit, vt patrem interciperet sub specie collocutionis. Patrem enim monuit indecens fore, & contra Dei man- 1311.

datum si filius parentem nō inviseret, & illius manus deoscularetur, cum potissimum ab eo se diligi, & tam liberaliter sibi ab eo provideri videret. Baiazetis filii animum obstinatum animadvertens, Hadrianopoli Constantinopolim versus iter instituebat, quod iam in vrbe omnia turbari audiret. Habebat enim secum omnes Vezires, Sangiacos, begos & milites, quibus injunxerat vt secum Constantinopolim proficiscerentur. Iamq; ad Zorlum oppidum pervenerat Selymus cum equitatu Tartarico, vbi hærebat Baiazetes valetudine imbecillia, curruque vehebatur obducto velo, cum neque pedibus stare, neq; equitare posset.

Ibi pugnandum fuit concurrentibus animosè patris filiiq; copijs: Sed fusis Tartaris, Selymus in fugā versus est, & versus Varnam elabens navigio Cophen repetivit. Pater viro iter suum prosecutus est: Selymus interim in AEgyptum se cōtulit, equo vectus velocissimo (quem Carabul hoc est furvam nubem vocabat) cui mortuo, sicut Alexander suo Bucephalo, sepulchrum condidit magnificum. Et iam Achomates, ex Amasia per Bithyniam & Galatiam venerat Chalcedonem (quæ hodie Scutari vocatur) vnde quotidianis patrem nunciis solicitabat, vti in imperij administratione substitueretur: quod lubens præstitisset bonus senex, nisi illum à proposito divertissent Mustaphas bassa, Aiax, & Bostranges Ducaginoglis, qui precio corrupti à Selymo, se maioris emolumenti, conatibus Achomatis resistebant. Achomatis partes fovebant ipse Cadilescherus, & Niscanzis bassa, & Ionuzes bassa: quorum conatus cum innotuisset Genizaris, in eorum ædes irruerunt, & omnia diripuerunt. Chasanisque bassæ domum concitata seditione spoliaverunt: Achmetis

metisque ,qu Achomates est, legati qui tunc in vrbe erãt noctu se subduxere vt saluti suæ prospicerent. Senex Imperator persuasione bassarũ qui Selymo favebant, Achomatem jussit in Cappadociam reverti, vnde illum revocaturum se promittebat, cum opus esse facto videret. Is paterni consilij mutatione irritatus, Bithynia, qua iter faciebat, deprædata, reversus est Amasiam: vbi convocatis filiis suis Amurati & Aladino suasit, in Asiam minorem invaderent, Pisidiamque Lycoaniam, & oram maritimam Pamphiliæ & Ioniæ, quæ provinciæ nullis fere prȩsidiis defendebantur, Corcuthe Baiazetis filio, qui illis præerat, vitæ trãquilliori dedito. Quas cum paucis diebus in deditionem recepissent duo Achmetis filij, pater eorum rex Asiæ declaratus est. Et cum Mechemetem Sciansiæ filium & Baiazetis nepotem non posset allicere, in illum mouit exercitum, & Larendæ obsessum vrbe occupata cum fratre impubere cȩpit. Hac filij violẽtia offensus Baiazetes, legatos ad eum misit, qui illum reprehenderent, & illum ad officium revocarent: sed is nihilo mitior admonitione paterna, legationis principem capite truncari jussit, reliquos ignominiosè tractatos minabundus extrusit. Tũc pater hac crudelitate motus, bassarum hortatu, præcipuè Mustaphæ, Achometem parricidam, & publicæ quietis hostes declaravit: Selymumq; revocavit, vt belli contra fratrem rebellem dux esset. Indignum enim ducebant omnes & nefas bellum suscipi in filium regium, nisi ductu alicuius ex Otthmannica gente generetur: vt contigerat ipsi Baiazeto, dum Zemem fratrem res novas in Cilicia moventem persequeretur. Corcuthes interim, qui Philosophiæ dabat operam, vitæ generi trãquilliori addictus, ab amicis monitus est, vt maturè re-

bus suis prospicerent. Is igitur ex Magnesia in Phoceam properans, expedita navi Constantinopolim venit ad patrem: sed exiguum templum non procul à Genizarorum domicilio ingressus est, nolens statim patrē adire: cui Baiazetes aliam domum commodiorem jussit præparari, vt tutior esset à Genizarorum iniuriis. Eum cum amicè recepisset pater, & benignè tractaret, non tamen illi ausus est imperij summam committere: propterea quod bonus senex senio & podagra debilis, & ad res agendas non satis idoneus, Præfectorum violentiam formidabat: qui expressè asserebant se non admissuros imperii successorem quenquam ex Principis filiis designari, patre vivo & valente. Selymus cognito Corcuthis adventu, Constantinopolim citissima nauigatione ex AEgypto contendit: Iamq; ad Zegmē minorem (quæ Rhegium fuit oppidum subvrbanum, quod stationem pro navibus habet stadiis 102. ab vrbe distans) adpulerat Selymus: Cumq; propius accederet Corcuthes frater illi prodiit obviam, dextraq; vtrinq; porrecta, humaniter se invicem salutarunt, & collocuti sunt: simulque in vrbem ingressi, Corcutes in suam se recepit domum, Selymus autem parvo cum comitatu ad hortos Genibaxeos tentoria fixit prope excubitoria Genizarorum, qui sunt cohortes Prætorianæ. Quò postquam venisset, Genizari congregati decem ex eorum numero ad Bassas ablegarunt, qui dicerent se pro rerum domino & imperatore Selymam agnoscere: Baiazeti ideo significarent propter valetudinem & senio debilitatum corpus, ad res gerendas non amplius idoneo, vt administrationem Imperii relinqueret Selymo filio: id nisi fieret, animad versuros se in ipsos bassas, & per viam constituturos Selymum in thronum regium. Cum his

legatis

legatis Bassæ ad senem imperatorem venerunt, eorumq; postulata in medium proposuerunt: Quibus cum respon d isset, se quandiu viveret nunquam depositurum esse sceptrum regium. Mustaphas bassa qui supremus erat Vezir: Baiazeti respondit, vale imperator maxime: sed scito brevi fore vt nisi his obtemperes vitam tibi nobisq; adimēt: Hac motus oratione Baiazetus paulo post rem exactè perpendens, Age, inquit, quia sic expedire bono publico existimatis lubens cedo rerum gubernacula filio meo Selymo: Tum hilares Ganizari vnanimi consensu Selymum imperatorem salutarunt: qui simulata modestia eam dignitatem recusans, ad Corcuthem fratrem natu maiorem eam deferebat: Sed vrgente & quasi cogente Mustapha bassa, non solum militiæ Princeps, sed totius Imperij successor, patre connivente & consentiente, declaratus est: statimq; publicis acclamationibus, & applausu populi, Sultanus & imperator salutatus est. Corcuthes rei novitate, & non expectata cōsternatus, dum tutò licebat, in Phoceam se recepit, metuens Selymi ambitionem, crudelitatem, & perfidiam: quem sciebat omnia noliturum, vt sublatis fratribus solus rerum potiretur, Baiazetus quoque pater proditum se à suis animadvertens anno 1512.

Cistas quibus imperatorii thesauri continebantur, commisit Sultano Selymo: petivitq; vt saltem spatio viginti dierum sibi liceret in vrbe esse; quibus exactis Dimotucum vrbem Thraciæ peteret, ibiq; reliquum vitæ tempus exigeret privatus. Quod Selymus non solum lubens concessit, sed patrem adiens imperium se recusare adhuc simulabat: satis sibi esse affirmans, quod patrem vidisset, & ab eo clementer esset exceptus. Cumq; consensu omnium receptus esset imperator, statim Genizarum

prima-

primarium Achomatis fratris ſocerum ſuſpendi juſſit, & alium quēdam ex Vloſeziorum numero capite truncari.

Paucis diebus interiectis cum Dimotucum ſe reciperet Bajazetus, Selymus eodem cum patre curru vectus, cum patre de multis rebus collocutus eſt; mutuoq; amplexu poſtquam ſibi valedixerunt, pater iter proſecutus eſt, filius Conſtantinopolim reverſus eſt. Is patri adiunxerat Ionuzem baſſam, qui curam eius gereret, omnesq; res adminiſtraret. Sed ſecreto fertur cum Ionuze tranſegiſſe vt patri venenum propinaret. Quod factum eſt per medicum Iudæum nomine Hamonem: vt quidam ſcripſerūt. Alij dicunt illi venenum propinatum per medicum patris Vſtorabim, cui Solymus promiſerat in ſingulos dies annonam aſprorum mille, qui reditus erat annuus dalerorum 9000. cum dalerus 40. valeat aſpris, quod precium pactum cum repoſceret à Selymo, capitis ſupplicio affectus eſt: & Baiazetes cum ad vicum Chapſe perveniſſet, veneno, quod in Pharmaci potione ſumpſerat, vrgente, mortuus eſt. Cuius corpus Conſtantinopolim reportatum eſt, & in templo quod priùs condiderat, ſepultum: deceſſit è vita anno ætatis 76. anno Chriſti 1412.

K


QVID PYRRHVM EPIRVS·PRISCVM QVID IACTA ACHILLĒ,
PELIDÆ ET PYRRHO MAIOR AD ISTE FVIT.




ROBORE PHARSALICO GETICAS VEXARE COHORTES
PERGE: TVA PATRIA EST LIBERA FACTA MANV.



# SCANDERBEGUS.



Ntequam ad Selymj vitam veniamus, necessarium erit hic pauca adjicere de iis, quæ cōcernunt excellentes illas virtutes, quæ effulserunt in Principe Albaniæ, qui Scanderbegus vocatus est: qui sub finem imperij Amuratis & principium Mechemetis vixit fama celeberrimus tam apud Turcas, quàm apud Christianos.

Georgius Castriota Camusæ sive Ioannis Principis ejus partis Albaniæ (quæ olim Aemathia dicta est) & Voisavæ filiæ Triballorum regis filius fuit. Is à patre datus est obses Amurati cum fatribus, Reposia, Stanisso, & Constantino, qui circuncisionem Musulmannico more recepit, & mutato nomine Ischenderbeg vocatus est, Itali Scanderbegum dixerunt.

Imperatori Turcico propter excellentes animi corporisque dotes longè carissimus. Prima statim ætate duello vicit insolentem Tartarum, in aula Otthomannica omnes ad certamen provocantem: nec multo postea, Iaiam & Zampsam Persas ejusdem insolentiæ & superbiæ, cujus erat Tartarus, animosè superavit. Mortuis au-

tem parentibus, fratribuſque veneno ab Amurate ſublatis, cum ſe dominio paterno privari doleret, Croa per Sebaliam occupata, jamque Turcicæ dominationis pertæſus, cùm male Amurati contra Pannonas cederet
1431. anno Chriſti 1443. ab eo defecit, & in Epirum aſtu ſe recepit. Literas enim per vim extorſit à cācellario Amuratis, quibus jubebatur Croæ præfectus Scanderbego urbem committere: quem cùm non poſſet adducere ut ſimul in Albaniam tranſiret, gladio illum transfodit, ne ſuæ fugæ nuncius eſſet apud Turcas. Cum his literis expeditiſſimo curſu in Albaniam pervenit, Croamque ſe recipiens eas præfecto legendas tradidit, quas cum primùm vidiſſet, non ignarus quo in loco Scanderbegus eſſet apud ſuum Imperatorem, illi urbem cum arce tradidit. Ejecto igitur præſidio, interfectisque aliquot obſtinatoribus, & qui religionem Chriſtianam recipere noluerant, ſuos exhortatus eſt, ut bono eſſent animo, & Deo gratias agerent, quòd excuſſo barbaricæ tyrannidis jugo, priſtinæ reſtituti eſſent libertati. Alexiani interim congregati Principes Epirotæ venerunt, ut illic communi omnium conſilio providerent de omnibus neceſſariis: non enim dubitabant fore ut breuiter de ijs opprimendis cogitarent Turcæ, poſt hanc defectionem.

Hi omnes jure iurando ſe adſtrinxerunt facultates omnes operamq; ſe impenſuros, & in hoc conſilia collaturos, ut Turcarum excuſſo dominio, vxores, liberosque, & patriam libertati reſtituerent. Electusque eſt communi omnium ſententia Scanderbegus, qui belli adminiſtationem ſuſciperet. Hac Scanderbegi defectione plurimùm turbatus eſt Amurates, tum quia illum diligebat propter ſingulares virtutes, tum quòd illum poſſe plu-

plurimùm Turcicæ potentiæ obesse cognovisset. Itaque maturè providendùm huic malo censuit: Et ad reditum cùm nequiret illum adducere Ferisembegum hominem strenuum in Albaniam misit cum exercitu 13000. equitum: Quidam Alibegum primò missum fuisse scribunt cum 40000. hominum: ex quibus prælio cõmisso duodecim millia cæsa sunt, mille capta, reliqui fusi fugatiq;. Eadem fortuna postea usus est contra Mustaphambegum, qui in Epirum venerat duabus expeditionibus: Prima cũ 10000 secunda cũ 15000. totiesq; oppressus est & fusus. Id non ferens Amurates, statuit ipsemet in Albaniam iter suscipere, & Croam regionis metropolim obsidere. In cuius obsidione adduxerat hominum ducenta millia: cùmque sæpius Marte dubio, sæpius adverso pugnasset cum hoste animoso, cum illi ex sententia res non succederet, dolore mortuus est, anno 1448. Sebalia & Seremeto ducibus superatis.

Anno 1451. Donicen filiam Ariamnitis Cominati Principis Epirotici, suorum hortatu, duxit uxorem, Muchemtes interim (qui Amurati patri in Imperio successerat) non ferens Scanderbegum in Epiro dominari, anno 1452. Amesembegum & Debream, præstantissimos militiæ duces, qui illum reprimerent, misit: ij ad Belgradum urbem liberandam, quam Scanderbegus obsidebat, venerunt. Quorum adventu Albani ab osidione repulsi sunt, accepta non mediocri suorum clade, quam plurimùm auxit Sebalias bassa. Pactis tandem induciis cum Mechemete, Scanderbegus domum se recepit, vnde in Italiam accersitus est, ut Ferrandum Arragonum regem Alfonsi filium, adjuvaret, quem Andegavienses Galli regno detrudere volebant. Superatis igitur Gallis, & expul-

ſo Picinino qui illis militabat, regn pacificum Ferrando relinquens in Albaniam reverſus eſt anno 1460. Cumque in agros inimicorum frequenter excurriſſet & prædas averteret, offenſum ſibi rurſus fecit Mechemetem. Qui ut injuriam acceptam ulciſceretur, ſucceſſivè multos duces cum copiis in eum miſit, quos omnes ſingulari virtute oppreſſos ſuperavit. Primo enim Sinanbaſſa cum 30000. Secundo Aſſembegus cum 30000. eum oppugnarunt, & ab eo profligati ſunt. Quibus damnis acceptis Mechemetes ad pacem petendam compulſus eſt: Licet anteà victor ubique Conſtantinopolim, Bozinam, Serviam, Lemnum, Peloponneſum, Trapezuntem, & infinitas Aſiæ provincias ſubjeciſſet: Pax quidem confirmata eſt cum Scanderbego; ſed biennio poſtea Venetorum impulſu fracta eſt: Ii enim Turcicis armis vexati animadvertebant ſtatum ſuæ Reipublicæ plurimúm debilitatum iri pace hac cum Albanis facta. Quare miſſo in Epirum Gabriele Triviſano Procuratore homine nobili & eloquente, tentarunt principem ad arma recipienda adducere: quod cúm recuſaret conſtantem, diceretque ſemel ſacroſanctè jurata pacta non debere reſcindj, Epirotasque longis & difficilibus bellis jam fractos tranquillitatem poſcere, neque velle ulterius aleam Martis experiri. Triviſanus cùm parum precibus ſe proficere videret, contulit ſe ad Paulum Angelum Durazzi ſive Dyrrachii Epiſcopum, hominem ſui temporis nobilitate, doctrina, & pietate nulli ſecundum, & qui plurimùm autoritate valebat apud Scanderbegum: Huic Triviſanus negotium dedit perſuadenti, ut Epiroticus princeps rurſus in Turcas bellum ſuſciperet: Epiſcopus tantùm valuit eloquentia, ut nolentem etiam, & multa prætexētem

Scander-

Scanderbegum impulerit commune fœdus cum Venetis inire, quod firmiter postea, quandiu vixit, servavit: Statim igitur ingenti exercitu coacto Turcarum fines invasit, omnia incendiis, cædibus, & rapinis miscens: ingentemque pecudum numerum abigens: ita ut plus quam octuaginta ovium millia, sexaginta boum & vaccarum, & tria millia equorum laudatissimi generis dicatur avertisse. Hanc tam insignem injuriam ac damnum ægerrimè tulit Princeps Turcicus, graviterque irritatus est in Scanderbegum, & Episcopum Dyrrachinum, fœderis fracti autorem, & belli hortatorem. Cum tamen intelligeret Pium secundum Pontificum Romanum novum fœdus moliri militum cruce signatorum; quo Christiani Principes junctis simul viribus Turcis bellum inferrent: ejusdemque Pontificis autoritate Paulum Angelum Ecclesiæ Romanæ Cardinalem factum esse, & Scanderbegum cum titulo regis Albaniæ insignitũ, sacriq; fœderis ducem, & Principem designatum ut impendentib⁹ malis occurreret Mustapham begum in Albaniam ad Scãderbegum literis amandavit, qui illum amicitia & servanda pace retineret: Mustaphas in Epirũ venit anno domini 1463. studi utq; qua potuit eloquentia regi persuadere ut pacto staret: Sed cum illum non posset eò adducere, re infecta Constantinopolim reversus est. Mechemetes omni spe pacis sublata, Balabanum Agam natione Epirotam (sed à pueritia Hadrianopolim deductum, quemque Imperator insignibus honoribus affecerat, propter egregiam in expugnatione Constantinopolitana navatam operam) misit cum exercitu 15000 equitum, & trium peditum millibus. Cùm igitur in Epirũ venisset simulata cum suis amicitia, perfida per fidum exploratorem Scanderbego statim edetecta est, Iam utræq; acies simul cõvenerant, & ad pugnam accincti ad arma concurrunt: utrinq; multis cæ-

ſis Turcæ in fugam vertuntur, Albani eos animoſè inſecuti, lapſi ſunt in inſidias in Valle Vaſcali, ubi nihil tale expectantes ab inimicis excepti ſunt: captique viri nobiles, & quorum virtutibus plurimùm fidebat Princeps: Hos Conſtantinopolim miſit Balabanus ad imperatorem, quos licet Scanderbegus tentaverit redimere, vel precio, vel permutatione, nihilo minus reſtitutionem eorum negavit Turca, exquiſitiſſimisque tormentis excarnificatos, per quindecim dies continuato ſupplicio illos cute & vita crudeliſſimè exuit: Iterum Balabanus ad novum prælium ſe accingens, corruptis excubiis victoria ſe potiturum ſperaret, ejus exercitus, qui 18000. conſtabat, fuſus eſt. Is iterum ſecundo cum 19000. hoſtem aggreſſus, victus eſt: Tertiòque cum 21000. Et quartò cum 28000. & Iacupes begus cum 16000. profligatus eſt. Mechemetes per legatos re non procedente ex animi ſententia, ipſemet præſens adeſſe, & Croam obſidione cingere conſtituit.

Thracia igitur relicta, coactoque exercitu ducentorum millium hominum in Albaniam, qua potuit celeritate, contendit: Sed Scanderbegus qui per exploratores ejus conſilia & deliberationē prius cognoverat, ſuis rebus providit: Croam firmat præſidio valido, cui præfecit Balthaſarem Perducem hominem ſingularis virtutis & fidei, annonæ quantum ad multos menſes ſatis eſſet in urbem invehens, & ea omnia quæ ad machinas bellicas pertinerent, globos ferreos, pulverem ſulphureum, & reliqua ad obſidionem tolerandam neceſſaria. Intra mœnia tamen ſe non incluſit, ratus eſſe conſultum ut foris cum expedito equitatu quotidianis impreſſionibus noctu dieque factis obſidentes vexaret; neque illis ullum

quietis

quietis tempus præberet. Poſtquam infinita ab oppidanis ejaculationibus, & excurſionibus Scanderbegi Mechemetes damna recepiſſet, Croamque inexpugnabilem cognoſceret, relicto in obſidione Balabano cum octodecim millibus ſelectiſsimorum equitum, & quinq; millibus peditum: cui & octo adjunxit Sangiacos, quorum conſilio & providentia in omnibus uteretur, ipſe Princeps Conſtantinopolim reverſus eſt. Poſt ejus abitum Scanderbegus urbi benè proviſum eſſe cognoſcens, nec multùm pertimeſcendum Balabanum, Romam ſe contulit, ut auxilium à Pontifice & cæteris Chriſtianis impetraret: ſed cum nihil proficeret, in Epirum celeriter regreſſus eſt: Scutarum tamen priùs adiit ubi conſilio habito cum Ioſaphato Barbaro Veneto Procuratore, obtinuit copias auxiliares, ad tredecim hominum millia & quadringentos, cum quibus Croam redijt: quam Balabanus compoſitione tranſacta cum urbanis ſperabat ſe recepturum: ſed ictus globo eſt tormenti à Georgio Aleſio Epirota.

Ejus morte perculſi Turcæ, relictis impedimentis in ſubitam fugam effuſi ſunt: cumque Chriſtiani non haberent quibus cum pugnarent, ingenti præda inter ſe partita, & annona in urbem invecta, pro conſecuta victoria Deo gratias egerunt. 1466.

Anno 1466. Mechemetes iterum ad Croam obſidendam miſit Alisbegum & Aiasbagum, qui & ipſi eundem quem priores belli ſucceſſum experti ſunt.

Scanderbegus tandem Ahamate ad Dyrrhachum 1467.
cum quindecim millibus hominum ſuperato Alexiam

(quæ nunc Liſſa dicitur) ſe recipiens, in febrim lapſus, eaque mortuus eſt 17. Ianuarij anno domini 1467. ætatis ſuæ 63. regni vero 24. vir nulli hominum antiquorum vel ſui temporis rerum experentia, bellica virtute, aut animi promptitudine diligentiaque ſecundus.





EPIRI REGINA VT SIS PRVDENTIA FECIT;
QVÆQVE IPSI POTERAT FORMA PLÆCERE IOVI.




TANTA TVO ES (MERITIS VENIAT SI FAMA) MARITO,
QVANTA SVO QVONDAM DEI DAMIA VIRO.



# DONICE SCANDERBEGI VXOR.



Nno quarto poſt eius obitum, ſubjugata fere tota Epiro & urbe Scutari, Muchemetes quoque Alexiam expugnavit, ubi Scanderbegus ſepultus erat. Eius oſſa e ſepulchro effoſſa milites Turcici inter ſe partiti ſunt: incluſaque auro vel argento ea geſtarunt religioſiſſimè pro Alexiaco,& mali eventus amuleto. Exiſtimantes in reliquiis tam excellentis viri ineſſe plurimùm energiæ & virtutis ad evitanda mala. At Donice Scanderbegi uxor, cum Ioanne filiolo adhuc impubere, quem ex marito ſuſceperat, poſtquam è vivis deceſſit, & Epi-

rum à Turcis occupari vidisset, cum aliquot fidis amicis & filio in Italiam navigio transiit, & ad Ferrandum Neapolitanum regem se recepit: qui beneficii priùs ab ejus marito accepti memor reginam humanissimè excepit, illique montem Garganum in Apulia habitandum concessit.



DICTVS ES EPIRI REX: AT CAPTIVVS HABERIS,
DVM PATRVVM IN FIDA PRODITIONE PREMIS.




VXOREM ET NATOS BYZĀTIA MOENIA SERVĒT
HÆC FVGE SVNT ILLIC MIXTA ACONITA TIBI.



# AMESES CASTRI-OTA.



MESES Reposiæ sive Caragusæ Scanderbegi fratris filius fuit, matre natus Turcica. Nam ejus pater Amurati Hadrianopolis Sultano cum reliquis fratribus à patre Camusa datus obses, Musulmannicam religionem susceperat, & post circuncisionem Caragusæ nomen sumpsit, uxoremque duxit, ex qua hunc suscepit Amesem: qui semper Georgio patruo adhęrens, omnibus consiliis ejus aderat, & ejus opera in bellicis expeditionibus libens utebatur. Homo enim erat strenuus ac rei militaris peritissimus, utpote qui institutorem patruum habuit, in bellica arte inter homines sui temporis duces experitisimum. Cum autem Scanderbegus patre mortuo, fratribusque sublatis detineretur in aula Amuratis, sub spe redeundi in Aemathiam patris sui dominium, sentiretque se à Vafro Turca ludificari promissis sine effectu, illius jugi pertæsus, intra se statuit liberratem sibi ac patriæ recuperar e. Habebat enim secum semper fideles amicos, cum quibus sua communicabat consilia, & à quibus in doctrina Christiana erudiebatur: Huncque A-

M mesem

mesem fratris filium instituebat in arte militari,& omnibus expeditionibus socium sibi jungebat. At cum Hungari Amuratis provincias invaderent, Scanderbegus electus est, qui ad eorum incursiones opponeretur: contra quos ita militavit ut victor sine magno hostium damno Hadrianopolim rediret.

Anno 1422. Eugenij IIII. Pontificis Romani iussu Iulianus Cæsarinus Cardinalis missus est in Hungariam ad Vladislaum regem, qui illi persuaderet ut ruptis induciis decennalibus paulò antè cum Turcis pactus erat, eorum fines invaderet: Quod ubi factum esset, Amurates Manisæ in Asia degebat senex,& filio Mechemeti juveni administrationem reliquerat imperij: quia tamen audiret ingentem Christianorum exercitum instrui,qui Othmannicam invaderent ditionem, ipse quoque à suis veziribus & præfectis revocatus in Europam, undequaque novas coëgit copias,quas diversis commisit præfectis:inter quos Scanderbegus quoque lectus est cuius fidei & magnanimitati multum fidebat.At cùm à principio malè cederet Turcis Scanderbegus diffugientibus omnibus ipse quoque in tutum se recepit locum cùm Amese & aliis aliquot amicis: Illum cum fugisse audivit Amuratis Cancellarius, ad eum noctu venit,ut illum reprehenderet, & hortaretur ad recipiendum animum.Hanc occasionem nactus opportunam Scanderbegus, Cancellarium comprehendi jussit, coëgitque ut illi literas Amurathis nomine scriptas, & ejus sigillo signatas (gerebat enim secum Principis sigillum) traderet, ad Præfectum Croæ; quibus juberetur vrbis custodiam Scanderbego committere. Id invitus postquam & coactus præstitisset, ne ad Turcas rediens fugam Albani renunciaret, ab Amese

mese & aliis transfossus est. Scanderbegus verò cum sociis ac fratris filio in Epirum celeriter se recipiens Croam ingressus est; expositisque Præfecto literis, postquam veziris agnovisset manum & Sigillum Principis, lubenter urbem curæ & custodiæ Scanderbegi commisit, quem satis noverat Amurati carum, & plurimum autoritate valere:Postquam Muchemetes in imperio successisset, & adjunctione multarum provinciarum potens factus, sæpiusque pro recuperenda Epiro magno cum suo damno cum Scanderbego pugnasset:ut vi apertæ dolos jungeret, Amesem solicitavit ad defectionem à patruo:quod si faceret,illi pollicebatur Epiri regnum, quod ad illum hereditario jure pertinere dicebat:quia Caragusæ natu senioris filius esset. Ameses ut ambitiosus erat, ac regni cupidus ad Mechemetem transiit,vxoremque & liberos Constantinopolim abduxit : Sperabat enim præter regnum Epiri & alias dignitates se obtenturum ab Imperatore Turcico potentissimo & liberali. Hac defectione lętus Muchemetes acceptisque obsidibus uxore ac liberis Amesis illi commisit exercitum quinqe millium hominum, illique Isacumbassam adjunxit cum quo Epirum invaderet: Ita rex ab exercitu faustis acclamationibus salutatus infesto equitum Turcicorum agmine ad Patrui fines perrexit:à quo insidiis præventus,fusis fugatisq;& ex majori parte cæsis equitibus, ipse in patrui potestatem vivus pervenit: qui illi ingratitudinem & perfidiam in Deum, patriam & consanguineum genus gravi oratione exprobans, illum arcta jussit custodia asservari: Sed cùm bellis continuis detineretur neque illi qui semel transfuga fuisset ampliùs fidere tutum videretur,illum Neapolim transferri curavit, ad Alfonsum regem, cum quo a-

micitia intima junctus erat. Sed post Alfonsi mortem Andegavenses Galli duce Picenino regnum Neapolitanum eripere conabantur Ferrando Alfonsi filio, & sibi vendicare. Quorum viribus impar Ferrandus, ex Epiro Scanderbegum evocavit in auxilium: Regi postquam suppetias tulisset, & Neapolim quietam reddidisset, abducto secum Amese domum rediit: Quem postquam defectionis pœnitere sensit, officiumque in posterum fidele polliceri, ut erat benignus, illum in gratiam recepit. Sed in retrahenda ex Constantinopoli uxore ac liberis summa videbatur difficultas, ex Patrui consensu fugam iterum simulavit, & ad Mechemetem venit: qui illum quidem excepit, sed non qua priùs fecerat alacritate: diuque postquam esset Constantinopoli moratus, expectans commodam occasionem, qua posset uxorem inde eximere, sive fuerit suspectus Turcæ Principi, sive illi amplius fidere noluerit, dato veneno extinctus est; antequam illi in patriam reditus liber concessus esset.






RES ALBANA TVO EST FORTVNATISSIMA DVCTV,
TERROR ENIM EXPERTIS EST TVA DEXTRA GETIS.
TANVSAS THOPIVS.
SIVE ANIMVM SPECTET, SEV PVLCHRO Ī CORPORE ROBVR
NEMO EST EPIRVS QVEM TIBI PRÆTVLERIT.



# TANVSAS THOPIVS.



ANVSAS hic filius fuit Goici Thopij, & frater illius Georgij, qui in obsidione Belgradi Macedonij insidijs Sebaliæ Turcici exercitus ducis præventus, cum aliis multis clarissimis viris cæsus est magno totius Epiri damno, & Scanderbegi Principis dolore. Patruus hujus vocabatur Andræas Thopius, Musachi & Comini pater, viri omnes illustres, & magnanimi. Maximê hic Tamusas vir fuit animo invicto, unicèque propter virtutum Scanderbego dilectus, cujus opera felicissimè semper usus est in omnibus bellis, quæ contra Amuratem Hadrianopolis Imperatorem, & Mechemetē ejus filium gesta sunt: potissmúm in obsidione Sfetigradi oppidi, Cui Petrus Perlatus à Scanderbego præfectus erat anno 1449. cùm Amurates ad occupandam Croam exercitum 1449.
centum & sexaginta millium hominum adduxisset, quò antequam veniret, Sfetigradum Epiri urbem, à Croa 25. milliaribus distantem, cinxerant Turcici equites, Imperatorem expectantes: in eos Mosacus Golemius Dibriota, Ta-

ta, Tamuſas Thopius, & alij ruſticanis induti veſtibus, fingentes ſe in urbem convehere annonam aſinorum clitellis onuſtam, Turcas allexerunt ad pugnam, & fugam ſimulantes pertraxerunt in inſidias à Scanderbego locis commodis in valle diſpoſitas, unde irruentes in incautos, omnes fere ad internecionem cęciderunt. Vrbs tamen non ita multo poſt capta eſt proditione neſcio cujus nebulonis Dibriotæ, qui precio ab Amurate corruptus, urbem ingreſſus eſt, & in puteum (qui unicus in urbe erat, & ex quo aquatum omnes veniebant) canem mortuum conjecit. Dibriotis verò religio eſt bibere de aqua aliquo cadavere polluta. Cumque nemo ex ciſterna vellet vel auderet haurire potum, urbem Turcæ dediderunt. Tamuſæ quoque virtus ad Belgradum, apparuit & in pugna, qua ſuperatus Ameſes begus, captusq; & ad patruum adductus: Belgradum enim obſederat Scanderbegus duce Moſacho, cui commiſerat hominum quatuordecim millia. Ipſe verò cum Tamuſa, aliis expeditis equitibus dum abſens eſſet, Sebaliasbegus corruptis excubiis, magnam obſidentium ſtragem edidit: Sed adventu Scanderbegi ſe recipere coactus eſt, fuſus & fugatus virtute Tamuſæ, qui ad perſequendos hoſtes commiſſus erat, & in eo conflictu periere Albanorum equitum fere duo millia, & totidem peditum.





N

NIL TIBI FRACTA FIDES, NIL AFFECTATA TYRÃNIS
PRODERIT: IN FIDVS NAM MAHOMETVS ERIT.




SISTE ODIVM: FVROR HIC FACIET MALE SANVS Ĩ HOSTEM,
DETRACTA VT CAPTVS TV CRVCIERE CVTE.



# MOSACHVS GO-LEMIVS.



OSACHVS qui & Moises dictus est natione Epirota filius fuit Musachi & Voislavæ: Huius patrui fuerunt Ariannites Comitatus Scanderbegi socer, & Vladiennas Golemius Ariamnites, qui pater fuit Musachi mariti Angelinę Scanderbegi sororis: Hic Mosachus, dictus Dibriota, vir fuit rei militaris peritissimus; Primumque locum inter Epiroticos Duces, qui Castriotæ militarunt, semper obtinuit: cuius opera contra Amuratem in omnibus expeditionibus felicissimè vsus est, tam in recuperanda Epiro, quam in ea conservanda contra Ferisem, Mustaphamque, & contra Venetos Daini jurisdictionem Leche Zacharia occiso sibi vendicantes. Item in Sfedigradi obsidione: Ante Croam contra Amesem & Debream: Cumque in obsidione Belgradi absente Scanderbego proditione excubiarum Sebalias magnā Epirotarum stragem fecisset. Moyses de eius reb. redeintegrādis spe omni amissa, ac prius multoties iā à turcis sub ingentibus promissis solicitatus ad Muche-

metem Hadrianopolitanum Imperatorem transfugit; illiq; suam operam obtulit in expellendo AlbanioScanderbego,ea tamen conditione vt rerum potitus ipse stabiliretur in Principatum expulsi, solveretq; Muchemeto quotannis quantum illi tributi injungere vellet. Hunc liberalissime excepit imperator, quod illius generositatem, & autoritatem apud suos satis perspectum haberet. Quare trãsfugæ se vltro concedere quod poscebat,& præterea se illi donaturum, post rem feliciter exactam, quicquid posset ab imperatore clemente & liberali expectare. Cumq; ille se Scanderbegum interfecturum spopondisset:Si id præstaret, caputque mortui ad Principem attulisset, percussori promisit munus centenorum millium ducatorum: neq; se vnquam ab eo exacturum vllum tributum, pro possessione AEmathiæ,quam illi liberaliter indulgebat: sed satis illi fore,si fideliter & constanter perseveraret in officio debito. Vtque hæc firma rataq; essent, chirographo & sigillo imperatorio stabiliri jussit. His promissis onustus Moyses, acceptis quindecim selectorum equitum millibus è Thracia per Macedoniam venit in Epirum:Scanderbegus,qui jam antea de eius defectione certior erat redditus,cùm decem millibus equitum illi occurrit ad Dibri inferioris limites:cuius cum copias egregio ordine instructas considerasset attentiùs Moyses, motus est non mediocriter : noverat enim Principis Albanii invictum animum,& singularem prudentiam.Prodiens tamen ad primos aciei ordines,illum contumeliosis verbis compellatum,provocavit ad Duellum : Scanderbegus ira percitus, equo citato in perfidum magno ferebatur impetu,sed alter nõ ausus expectare huius violẽtiã,retrocessit.Subitòq;: facta impressione,Scanderbegus cum

cum suis omnib. in agmen adversariorū irruēs, quos iam attonitos turpi Ducis fuga cognoverat, brevi temporis intervallo illos fudit, & viriliter profligavit, elapso fuga proditore cum pauco suorū numero: qui Constanti. regressus, ab imperatore exacerbato hac jactura nō satis clemēter exceptus est: & ab omni aulicorū comitatu cum sanna explosus. Homo miser statim cū scientia remordente sensit, se justas suæ proditionis dare pœnas: & ad rerum suarum desperationem actus, intra se non poterat excogitare, quo pacto temeritatis suæ peccatum posset corrigere: Cumq; diu intra se versasset omnia, conclusit expedientius fore ad Clementiam domini refugere, quam ignominiosam vitam inter barbaros vivere. Mutato igitur habitu Hadrianopoli se subducens, in Epirum redijt & ad pedes Scanderbegi cum lacrymis prostratus, petivit delicti veniam: vel si in eius animo exulcerato iusta causa, misericordiæ locus nullus superesset, rogabat obnixè, vt principis manu occideretur. Supplicem Scanderbegus ferre non potuit sed dolenti condolens, illum clementer elevatum jussit secum assidere, dataq; brevi responso venia ne diu in tanto doloris cruciatu suspensum detineret, mutato sermone cœpit cum eo colloqui ea qua prius solitus erat familiaritate, datisq; vestimentis illū splendidius tegi voluit, adhibitumq; mensæ regiæ lautissimè excepit; & liberaliter restituit omnia bona, & patrimonium, quod post defectionem ad fissum fuerat relatum : resarcitaque gratia firmissimè postea perseveravit in officio, & operam fidam navavit principi : potissimum contra Ioannem Andegavensem Principem, regis Galliæ filium, qui Ferrando Arragonum regi eripere conabatur regnum Siciliæ & Neapolis, pertractis iam in suam sententiam du-

cibus Tarenti & Rosanæ; & duce Iacobo Picenino, fere omnes regni urbes occuparant, præter Neapolim, Capuam Aversam, Gaietam, & Berletam, in qua obsessum Galli tenebant Ferrandum: Obsidionem solvit Scanderbegus adjuvantibus suos conatus Moyse Dibriota, & Gnerico Angelinæ sororis filio: liberatumq; Ferrandum profligatis hostibus restituit regno: Reversus in Epirum invasit iterum Turcarum fines: in quem missus est Assambegus, qui pugna victus à Moyse vulnus accepit in brachio dextro, vixq; acie evasit: Pauloq; post eandem præstitit operam domino suo adversus Iussumbegum, Carazambegum, & Seremetum Mechemetis duces. Postremo cum ad vallem Valcalam contra Balabanum bassam pugnaret, & victoriam pertinaciùs quam par esset persequeretur, in insidias hostium lapsus cum Guirizio Vladienna, Musaco Angelinæ Scanderbegi sororis filio, Gino Musacho, Iano Perlato, Nicolao Berisio, Georgio Churcho & Gino Magnesio insignibus Epirotarum ducibus captus est vivus, & Constantinopolim missus ad Mechemetem imperatorem: qui literis Balabani monitus erat de captivorum nobilitate & bellicis virtutibus. Hos omnes crudelissimus Princeps exquisitissimis tormentis, detracta minutissimis vulneribus cute per dies quindecim excarnificatos trucidari jussit: quamvis eos Scanderbegus vellet redimere vel Turcarum captivorum duplici numero, vel tanto argento quantum ponderabant.




TORLA-

SIC TE VESANO FVROR ENTHEVS EXCITAT OESTRO?
PRINCIPIS VT VITAE STRVXERIS IN-SIDIAS.




BARBARA RELIGIO EST, QVÆ REGVM SANGVINE GAVDIT
NEMO HAC ESSE POTEST IMPIETATE PIVS.



# TORLACES DERVISIVS.



ORLACES, qui ab alijs Dervisius nominatur, monachus fuit Turcicus: qui in Baiazetem Turcarum Imperatorem, simulans se Eleemosynam poscere, irruit, Allahitschi bis proclamans, acinacem, quem veste tegebat, Principem nihil tale expectantem vibrans, illi vulnus inflixit, & occidisset, nisi Ischenderbassa qui præsens adstabat gladium detorsisset, & massa ferrea (Pusdoganum quam Turcæ vocant) nebulones caput confregisset: quem statim semianimem milites arreptum frustilatim discerpserunt: Baiazetes hoc tam audaci facinore irritatus, Torlaces omnes proscripsit; & Constantinopoli, totoq; orientis exegit Imperio: vt eorum vniversus ordo sacer sciret, impietatem summam esse contra suum principem conspirare, & illi manus quacunque de causa inferre. Hoc accidit anno salutis 1493. 1493.
dum Baiazetes expeditionem suscepisset in Chimeriotas montanos Epiri, qui Acrocerrannia incolunt.

Hic notandum est apud Turcas diversos esse religionis gradus; quos ad imitationem Græcorum sic distinxerunt.

Caliphes ſummus eſt in religione Muſulmanica Princeps, ſeu vicarius Mahometis Prophetæ: tantę dignitatis, vt etiam hunc titulum vſurpent ipſi Turcarum Sultani, ſicut olim Romani Imperatores ſibi tribuebant nomen Pontificis maximi.

Secundus à Caliphe eſt Seriphis locus. Caliphi enim mortuo, Seriphes ſubſtituitur, ſicut apud Græcos Syncellus Patriarchæ: & Hi recta linea ſe deſcendere à Mahomete Propheta jactitant: quos Tatari & Turcę ſumma colunt veneratione, & Sęithos vocant.

Præter hos varij ſunt religioſorum hominum gradus. Primo loco Patriarchatum obtinet qui Muphtis dicitur, juris omnis & ſacrorum rex: Huic proximi ſunt Cadileſcheri: qui cum Archiepiſcopis noſtris conferri poſſunt autoritate & dignitate.

Cadij ſequuntur, locum eundem tenentes, quem apud Chriſtianos Epiſcopi.

Hogiæ poſtea veniunt, qui Seniores, vel Presbyteri dici poſſunt: Deinde Taliſmani veluti Diaconi: quorum eſt officium Muſulmannos ad preces excitare, interdiu & noctu quinquies. Turres enim meſſitis adjunctas conſcendunt, & acutiſſima voce clamorem altum tollunt, digitis alteram obturantes aurem & homines ad invocandum numen divinum his verbis exhortantur. In nomine Dei miſericordis propicij. Laus Deo regi ſæculorum, & pio, regi diei Iudicij. Heus ſerviamus ei, & heus adiuvabimur. Dirige nos in punctum rectum; punctum eorum, in quibus tibi benè placitum eſt, & quibus non iraſceris, & non errabimus. Hæc omnibus precatio ita eſt vbique vſitata, vt nobis eſt Oratio dominica à Chriſto Ieſu tradita.

Poſtre-

Postremum locum & ordinem servanti apud Musulmannos Dervisij, qui Græcorum Callogeris, nostris verò Monachis comparari possunt: & horum appellatu generalis est: sub qua alij multi comprehenduntur.

Qui simpliciter Derviastri à Turcis dicuntur, totum caput abradunt; in suis frontibus & temporibus cauteria inurunt vel ferro candenti, vel accensa spongia, vel linea fascia: aures habent perforatas, quibus inserunt inaures ex iaspide, vel annulos ferreos: Amiciuntur ovillis, vel caprinis pellibus, vna ab anteriore, altera à posteriore corporis parte adplicata: cætera nudi incedunt tam æstate quam hyeme. In suburbanis, & in pagis habitant: calidiore tempore vagantur prætextu religionis: fures sunt, adulteri, prædones, & in quos non sine periculo incidunt viatores, pædicones, & polluti spurtis libidinibus: Maslaco & oppio vescuntur, vt eo quasi Phrenetici redditi, cultellis sibi incidant vulnera circa collum, brachia, pectus, & latera, sanguinisque fluorem compescunt accensa spõgia: & eum dolorem patienter tolerant: habenturq; sancti, & Deo grati. Horum superior sive Præfectus in Anatolia vivit Azembaba nomine: qui Protopapa dici potest.

Calenderes alij sunt apud eos monachi; qui singularem sanctimoniam præ se ferunt; & vitæ continentiam: Sacella minora inhabitant. Tunicas habent curtas absque manicis, strictas instar sacrorum tam è lana, quam ex pilis equorum contextas: Crines penitus abradunt. pileos gestant ex albo filtro, similes Græcanicis quos sacerdotes induunt: nisi quod in horum oris instar fimbriarum dependent vndique longiusculæ equorum jubæ. Annulos ferreos crassos adpendent auribus, collo, & brachiis, imo etiam peni perforato æreum inserũt annulum,

ne etiam si coire cupiant, possint, tantam in sui ordinis sectatoribus sanctitatem,& continentiam requirunt.

Huggiemales alij dicuntur monachi vt plurimum juuenes, robusti: & inter eos plurimi sunt nobiles & divites: hi Africam, AEgyptum, Persiam, & Turcarum ditiones religionis prætextu pervagantur. Illis amictus est tunica stricta, Zona lata, serico & auro distincta, cui etiam adplicant tintinabula: cuiusmodi etiam sub gẽibus adplicãt. Super tunicam leonis, vel pardalis pellem iniiciunt, vngulis in pectoris partem superiorem connexis. Calceos etiam ex funiculis contextos gestant: Inaures argenteas vel æreas auriculis adplicant. Capillos in vtrumque promittunt humerum, quos oleo terebinthi vel juniperi pervngunt, vt magis promittantur & crescant. Manu vt plurimum tenent librum, & amatorias odas cantant publicè. Formosulos juvenes, qui fortè occurrunt, medios cõplexi arctissimè deosculantur: & ad cymballorum tinnitũ, & cantilenarum numeros plebem congregant, à qua poscũt munera: dediti sunt vagis, & turpibus libidinibus; quibus non solum in fœminas ardent, sed etiã in mares, & bruta, neq; ab vllo sexu vel ætate abstinent.

Torlaces monachi, sicut & Dervisij, teguntur ovillis, & caprinis pellibus, quibus pallij more induunt & supertrudunt pellem vrsinam: acuminato vtuntur pileo ex albo filtro, qui plicas habet plurimas. alioqui nudi incedunt; cauteriaq; temporibus inurunt. Literarum omnes sunt rudes, ad tabernas, fora publica, & balnea se conferũt vt inde stipem exigant: Rapaces sunt in itineribus, & viatoribus insidiantur, sicut & Dervisij Chiromanticam divinationem exercent: & propterea ad eos magno numero confluunt multi, præsertim mulierculæ, à quibus tan-

quam

quam ſacris vatibus, porrecta manu diſcunt quæ illis eventura ſunt: & hinc quæſtum aliquem non vulgarem faciunt: nemo enim illis manum conſpiciendam porrigit, ſine aliquo munuſculo. Vt plurimum ſenem aliquem ſui ordinis circunducunt per pagos & oppida, cui divinos tribuunt honores. Senex ille quaſi enthuſiaſmo correptus ſerio vultu, contortis oculis, caperata frõte ſe ſiſtit in medium, & neſcio quæ profert labris motis, verbis tamen non articulatis, tanquam cœlitus revelata: Nunc inſtar mortui jacet, nunc rotatis palpebris in cœlum cum ſuſpiriis oculorum aciem attollens ad vitam ſe redire ſimulat, & excidium populo minatur, niſi ad pœnitentiam redeat: vel eius interceſſione & precibus ira Dei à peccatis hominum avertatur. Hinc modo plebecula, muneribus onerat impoſtores: hacque liberalitate placatum ſibi numen exiſtimant, & Deo grates reddi. Veteratorem hunc proni adorant reliqui Torlaces, & circumvolventis oculos hinc inde, propitium pœnitentibus hominibus Deum pronunciant, onuſtique præda in ſuas revertuntur ſpeluncas, turpiſſimè ſe invicem libidinibus abominandis polluentes, & adulteriis mulierum, in quas violenter, & quaſi œſtro perciti feruntur; viris etiam earum nefandos ſpectantibus & probantibus concubitus: feliceſque ſe arbitrantur, quod eorum vxores viris tam ſanctis placuerint; in quarum amorem non niſi ſpiritu divino moveri putãt. Et ideo mulieres hac conſuetudine cæteris digniores aſſerunt.

HIC SI SECRETV SEMPER LATNISSET HEREMO,
PERSA ASIÆ HAVD VICTOS DIRIPVISSET AGROS.




TECKEL ACHEMENIOS DVM COGIT AD ARMA CVSELBAS,
CAVSAM AIT EXPLOSVM SEDITIONIS HALYN.



# TECKEL SCACHOCVLIS.



ECKEL natione Persa, ( alij ex Phrygia natum volunt ) Chasanis Chelifis hominis primarij in Tekiensi regione fuit filius: dictus est Cuselbas, quasi rubrum caput, regium genus consanguinitate attingebat. Is propter nobilitatem, bonarum literarum cognitionem, & pietatis religionisque cultum, suorum benevolentiam, studium, & admirationem, acquisivit, & divinus Propheta vocatus est. Is Harduelis Aidaris cognatus fuit, & discipulus, pręceptori doctrina & religionis zelo non inferior. Cumque Harduelis à Iacupe Chiorzeynale trucidatus esset, sęvireturque in novæ sectæ quam introduxerat, sectatores. Teckel regis metu Euphrate rrajecto in Armeniam fugit, & in Antitaurum spelunca obscura latitans, quę tamen illi commoda visa est, propter fontium scaturigines, & arbores frugiferas, quæ loco illi vicinæ erant, ibi sexennium fere integrum degens divinarum rerum contemplationi vacabat, contentus eo victu, quem terra suppeditabat. Sed tandem

dem à paſtoribus cognitus, demum à ruſticis, qui vitæ illius auſteritatem & pietatem ſatis mirari non poterant: illi primum neceſſaria ſuppeditabant, tandem ab iis per pagos & vicinas vrbes circumductus, ab omni populo pro Propheta divinitatis participe habitus eſt: potiſſimum poſtquam publicaſſet ſuæ religionis dogmata. Inter quæ primum erat, eos ignis æterni ſupplicio puniendos, qui in Machometis doctrina non ſequerentur Halys inſtitutionem. Mortuo enim Mahomete Propheta Muſulmanorum, quatuor eius diſcipuli Homar Honam, & Ebubekir, & Halys Mahometis gener mandata & præcepta defuncti præceptoris, ſchedulis confuſis relicta, ſuſceperunt, & certo ordine in Alcaronum, ſive Alforcanum redegerunt: omnibusq; interpretationem, & commentatitios addiderunt cum alijs quibusdam appendicibus, quæ ad ceremonias pertinent: Tres priores ſequuntur Turcæ, Tartari Aſiatici Africanique Muſulmani. Halym ſoli Perſæ; Aidaris Harduelis primò, poſtea huius Tekelis inſtinctu adprobarunt, tribus prioribus neglectis: qui doctrinam ſuam crudelitate & voluptatibus involverunt: Vtque ſuos ſectatores à reliquis diſcernant, eos jubent teguminibus capitum rubris redimiri: vnde Cuſelbæ dicũtur, hoc eſt capita rubra, ad differentiam Zagatarum Tartarorum, qui geſtant viridia, & Turcæ alba. Harduelem huius doctrinæ autorem interfecit Iacupes Vſumcaſſanis regis Perſarum filius, & in regno ſucceſſor. Iſmael verò Harduelis filius, cum matre Iacupis ſorore fugit ad mare Caſpium, ad Pynchalem patris ſui amicum veterem, & illius regionis Principem: à quo poſtea ſublato è vivis Iacupe reductus eſt in Perſidem. Is cum audiviſſet Tekelem ad Taſciam vrbem (quæ ad Antitaurum ſita eſt) religionem

nem paternam restaurare, tantumque autoritatis jam esse nactum, vt plus quam sex hominum millia ad se congregasset, qui rubra capitum tegumenta sumpserant, & quos emandabat ad deprædandum vicinos suis dogmatibus adversantes, illum literis monuit & exhortatus est, vt viriliter incœpto persisteret, pollicitus illi suum auxilium in omnibus. Nam in illum Turcæ iam arma moverant, suasu Cappadocum, & Lycaonum, qui metu Cuselbarum cum vxoribus & liberis Iconium confugerant. Teckel igitur prospero rerum successu elatus, ad vrbem Agognem cum magna hominum armatorum multitudine pervenerat, & in eum arma sumpserunt Orchamus & Mehemetes Baiazetis nepotes: nam vterque post suorum patrum Alensaci & Sciansciæ mortem, dominia Lycaoniæ possidebant. Ii Teckelis potentiam non ferentes in eum surrexerant, tandem viribus impares, ex Lycaonia discesserant. Persæ autem per Asiam minorem vagabundi, & ferro sævientes, vsq; ad Ancyram, quæ Angori nunc dicitur, penetrarant: & illos Conchutes Baiazetis filius, qui copias non mediocres collegerat Tyatiræ, Sypili, Magnesiæ & in Phocæa, non ausus est invadere. Teckel per Galatiam tendebat in Bithyniam cum exercitu victore, & Caragius bassam sive Caracossam Asiæ Beglerbegum qui auxiliares Asappos ex Paphlagnoia, Galatia, Bithynia & Ponto priùs congregarat, inopinantem fuderat. Achmetes interim Baiazetis filius primogenitus Cappadociæ & Ponti dominum regens, militem legerat, vt Teckelem opprimeret, sed ij omnes à Cuselbis superati sunt, Caragiusbassa vix elabente celeri fuga, amissis eo conflictu plusquam septem Asapporum millibus, & maiori parte Turcici equitatus. Hac victoria potitus Teckel Cuthe-

P iam


iam Asiæ minoris Metropolim obsidet, in quam se Caragiusbassa receperat: Qua expugnata Beglerbegum cum vxoribus, & liberis captivos abduxit. Palatium incendit, vrbemque militum prædæ concessit: eosque statim postea duxit ad obsidendam Prusam Bithyniæ vrbem opulentissimam: sed ab ea expeditione deturbatus est adventu copiarum Turcicarum, quę jam ex Europa ad Callipolim per Hellespontum in Asiam trajecerant à Baiazete missæ Halibassaque Eunuchus Macedo bellicosissimus vir cum expeditissimis Macedonum, Mœsiorum, Illyricorum, Epirotarum & Thracum equitibus, & Ianizaris ex Chersoneso in Phrygiam traiecit: monuitque Corchutem & Achmetem, vt convocatis omnibus Hipparchis (qui Sangiaci dicuntur) illum expectarent in Galatia. Teckel suorum suasu è Ponto discedens abducebat secum infinitam prædam: hanc vt illi eriperet Halybassa, summa vsus diligentia illum adsecutus est in planicie Galatiæ prope Caraassarem. Cuius impetum vt moraretur Teckeles, & locum evadendi tempusque præpararet, vivum Garagiusbassam in via palo jussit affigi. Sed Halysbassa hoc tam horrendo spectaculo magis irritatus, qua potuit celeritate illum est insecutus cum Achmete, qui se illi prope Angorin sive Ancyram cum decem millibus hominum coniunxerat. Cumq; minus prudenter quam par erat, peditatum longis itineribus defatigatum Achmeti reliquisset, ipse verò cum octo millibus equitum celerrimo cursu fugientes Persas persecutus ad Olygam montem non longè ab Ancyra vehementi solis æstu fractos in eos incurrit: temerèque in agmen hostium se conjiciens, ab ijs cæsus est, cum maiore sui equitatus parte: reliqui amisso duce, fugæ se dediderunt. Teckeles data suis ali-

is aliqua quiete,vt vires reficerẽt,traiectoHaly fluvio,Tasciam se recepit. Deinde ad vrbem Celenes, quam Maras sive Marsyas fluvius intersecat, venit.Eo prælio quo Halysbassa cæsus est Teckelis quoque pater Chasanes Chelifes sagitta ictus interiit:cui mortuo tumulus structus est à Cuselbis, & exequiæ magno vlulatu peractæ : Caramuses autem Vlofeziorum stipendiariorum exercitus Halysbassæ præfectus,qui domino suasor erat ne in Persas temere irrueret imprudentius, collectis fusi exercitus reliquiis retrocessit. Halysbassæ loco Iunusbassa, Turcico præfectus est exercitui, homo in militari arte expertissimus, & animo invicto : Hinc Achmetes novum commisit exercitum,cum quo Persas insequeretur.Qui non magna mora interposita Teckelem adeo vrsit, vt suis ac præda fere omni relictis in hostium potestatem, compulsus sit in latibula Antitauri;vnde quoque eiectus,in Armeniam cõfugit,omni spe auxilij ab Ismaele recipiendi amissa. Nam qui supererant ex seditioso exercitu viarum longitudine, ęstu,& laboribus confecti in Parthiam se recipientes, in via mercatores sericos pannos vehentes interfecerunt,& merces diripuerunt.Tebrisumque appulsos Ismael suppli cio duces affecit, reliquamq; multitudinem in servitutem redegit. Scachoculim postea captũ, vivum cremari iussit : vt auctor est Spandugimis.

PYRCALIS HOSPITIO SOSPES SERVABERE: TANDEM
FATA TVÆ REDVCEM RESTITVENT PATRIÆ.




ALVĀTEM EXTRVDES: CÆSVM VICISCERE PARĒTEM
INFESTVS TIBI THRAX SED TAMĒ HOSTIS ERIT.



# ISMAEL SOPHI.



SMAEL Perſarum rex, Harduelis Aidaris hominis religioſiſſimi, & novæ ſectæ apud Perſas inventoris filius fuit. Harduelis hic, licet non uſque adeo illuſtri inter ſuos natus eſſet familia, tamen propter pietatem & doctrinam primo in honore habebatur. Divitias enim, deliciasque, & honores, tanquam ſarcinas, & impedimenta ad meditationem vitæ æternæ, contemnens, tantùm meditationi rerum divinarum ſeſe dediderat. Vſum caſſanes Perſarum rex, pietate illius, & ſanctiſſimis moribus delectatus, illi Martham filiam deſponſavit: quam ſuſceperat ex Deſpina Callojoannis Ponti & Trapezuntij Imperatoris filia. Harduelis propter mutata religionis Muſulmanicæ myſteria, quæ ex traditionibus Halys Mahometi generi & diſcipuli didicerat, tantùm autoritatis ſibi acquiſivit in Perſide, & Armenia, ut infinitus hominum numerus illius videndi, & audiendi cauſa conveniret, poſſetque ex ejus ſectatoribus juſtus fieri exercitus. Id illum Iacupi Chiorzeynali Vſumcaſſanis filio (qui patre mortuo regnum occupabat) ſuſpe-

 ctum

ctum reddidit; cum Iacupis potentia nondum satis in Perside firmata videbatur: & novos motus, quantumvis levissimos, formidabat. Propterea quod Vsum cassanes Assymbeies eius pater Ameniæ præfectus paulò antè violētia regnū Persiæ occuparat, Malaonchre legitimo rege peremto Post cuius cædem, Persarū Prin., ut fieri solet, alij novi regis Vsumcassanis partes sequebātur, reliqui Malaonchris non deponentes desiderium, ad res novas tendebant. Iacupes igitur non satis certus de rerum suarum statu, potentiamque sororii Harduelis suspectam non ferens, qui Persis jam erat miraculo, propter vitæ sanctimoniam, illum per sicarios nihil tale timentem de medio sustulit. Ejusque sectatores quantum potuit è Perside removit. Ismael Harduelis filius adhuc infans, cum Martha matre ad Pyrchalem Hyrcaniæ Principem amicum paternum deductus est, & secretò educatus, ut crudelitatem evitaret avunculi. Is paternum dogma firmiter animo retinens, forma corporis venusta, facundia, morumque comitate singulari præditus, jam factus adultior summa in æstimatione erat apud omnes. Factum est ut aliquot annis interjectis, Iacupes avunculus uxoris suæ fraude veneno sit sublatus. Quod ubi innotuit: Pyrchales juvenem cum copiis in Persidem reduxit, ut si fieri posset, patentum possessionibus, & patrimonio
1490. illum restitueret. Postquam anno Christi 1 4 9 9. venisset in Armeniam, statim benevolentia suorum magis quàm viribus, dominum parernum recepit. Tanto successu elatus, & concursu Persarum, qui eandem quam ipse religionem sectabantur, adjutus, ad Sumachiam Mediæ conterminam primò duxit exercitum, quam expugnavit & diripuit: Inde Tebrisium majoris Armeniæ Metropolim

polim,Persiæque caput (quæ Tarva dicebatur antiquis) à Caspio mari itinere dierum quatuor distantem, non procul ab Emporio Derbent, ubi portæ ferreæ Scythas Tataros ab ingressu Persidis arcent) occupavit. Eo tempore Persarum regnum Alvantes Iacupis filius Morarcha fratre seniore expulso post patris interitum tenebat, Tebrisiique regium tribunal statuerat. Illi plurimùm infensi erant Tebrisini, propter avariciam, & immanem crudelitatem. Quod vbi cognovit Ismael, copias ad vrbis portas adduxit: Alvantes motu percitus, cum suis in fugam se dedit, statimque à civibus in urbem est admissus Ismael. Qui Iacupis sepulchrum diruit, ejus ossa dispersit: ut expiaret hac vindicta patris Harduelis necem. Cumque Alvantem fugisse vsque ad urbem Scyram audivisset, oppidaque Persidis & Armeniæ fere omnia tegumina capitum rubra recepisse, ut adprobationem communis religionis testarentur, & jam ad urbem Tasciam, quæ est ad radices Antitauri, convenisse plusquàm sex hominum millia, qui suasu Teckelis Scachoculis missi erant deprædatum contrariæ superstitionis homines, animo concepit totius regni possessionem. Iamque Cappadocas, & Lycaonas belli metus usque adeo perculserat, ut præcipui illorum uxoribus & liberis Iconium profugerent. Ismael ad Teckelem misit equitatum Persicum, illumque hortatus est, ut strenuè in incœpto perseveraret; se illi opibus & potentia in omni re non defuturum, quicunque belli eventus subsequeretur legatis, interim missis in Italiam, Venetos solicitabat, ut Turcas bello vexarent, qui jam Teckelem invadebant. Quod cùm non impetrassent Legati in Cyprum delati, postea in Syriam pervenerunt, ubi Petrus Catharini Zeni filius consulatum gerebat, &

præerat

præerat Venetis, qui in ea regione commercia exercebant: Hunc Legati Iſmaëlis rogarunt, ut Venetis autor eſſet belli contra Turcas ſuſcipiendi. Baiazetus de hac Perſarum cum Veneto collocutione certior redditus, literis apud Campſonem Gaurum Sultanum Aegypti graviſſimè conqueſtus eſt, quod Perſas à Syria ſalvos abire permiſiſſet. Campſon id indignè ferens omnes Venetos qui Alepi, Tripoli, Berrythii, & Alexandriæ negotiabantur vinctos Memphin trahi præcepit, & immaniter tractatos, magna cum difficultate, vix vita ſalva, poſt annum integrum dimiſit. Baiazite mortuo cùm Selymus filius barbara crudelitate in ſuos ſæviret fratres: Achemetes natu ſenior acceptis ab Iſmaële copiis auxiliaribus cum quindecim millibus equitum in Galatiam properavit, peditatu ſequi juſſo: & cùm ad Horminum montem perveniſſet, & ad Parthenium flumen caſtra eſſet metatus, Selymus ad Elatam fluvium pugna habita vicit Achmetem fratrem, captumque ſtrangulari juſſit. Amurates ejus filius patris morte conſternatus, cum reliquis Perſici equitatus in Amaſiam rediit, & trajecto Euphrate ad Iſmaëlem confugit: qui bello occupatis Othmannicis, ſubjugatis omnibus provinciis, quæ ab Oceano Perſico extenduntur uſque ad Servianos, & montem Caucaſum, & per oram meridionalem porriguntur ad Hircanum mare, & Coraxeos, & per triennium integrum debellatis Bactrianis & Sogdianis (qui ſunt Tatari Zagatæ) ad Oxum & Iaxartem fluvios habitantibus, in Armeniam Achmetis filium invenit, qui Tebriſium ſe receperat imploraturus opem à rege contra tyrannidem violentam patrui Selymi. Hunc benigniſſimè exceptum generum ſibi data illi in matrimonium filia delegit Iſmael: &

el; & cum decem millibus equitum, prope Harſengam Euphrate traiecto, miſit in Cappadociam cum Vſtaogli Perſa, præcipuo regij exercitus duce. Tantoque ſucceſſu ſtatim à principio vſus eſt, vt receptis in ditionem multis vrbibus, alijs ferro ac flamma depopulatis, potuiſſet Aſia potiri, niſi Chendemisbaſſæ Turcici ducis viribus fuiſſet à felici incœpto deturbatus: quem Selymus Sebaſtæ, quæ Suinas hodie dicitur, reliquerat cum exercitu. Et Selymus ex Hadrianopoli iam venerat Pruſam in Bithynia cum quadraginta millibus Aſapporum, cum quibus & reliquis copiis, Arſengam, quæ fuit Commana Pontica profectus eſt: vbi coniuncto cum Chendeme exercitu hoſtem aggredi ſtatuit. Amurates cum Vſtaogli ſeſe iam in vlteriorem ripam receperat, regione devaſtata, ne Turcicis militibus, qui illum inſequebantur, aliquid annonæ relinqueretur. Armenij interim & Aladulienſes montani Perſarum erant ditionis. Eorum regio per dorſum Tauri à Scordiſcis mari finitimis vſque ad Amanum montem, qui Ciliciam cum Syria coniungit, extenditur. Chendemes difficultate rerum, & loci ſolitudine motus, cum pericula in quæ coniiciendi erant exercitus Myſiorum, Macedonum, Epirotarum, & Græcorum prævideret, hanc expeditionē, quantum poterat, diſſuadebat. Sed Selymus viri prudentis conſilio non obtemperans, imo falſæ calumniatorum, qui Chendemis gloriæ invidebant, criminationi aurem præbens, bonum ſenem proditionis ſuſpectum trucidari iuſſit. Poſt eius mortem nemine in contrarium ſe auſo opponere, copias in Armeniam minorem duxit, conniventibus Scordiſcorum, & Aladubienſium regibus: progreſſusque ad montes Moſchios, qui ad Iberos & Colchos porriguntur, & aperiunt Armeniam ma-

iorem ab oriente. Adverſo igitur Euphrate venit ad Periardem montem,ex quo oritur Euphrates & Araxes: ſed vbique ſolitudo & rerum omnium horrenda devaſtatio inventa eſt: omnibus quæ ad victum pertinebant ſubtractis,aut vitiatis, nemineque hoſtium apparente. Poſtquã ſuperaſſet Araxem, Vſtaoglis & Amurates obvij Selymo venerunt prope vrbem Chois,quæ olim dicta eſt Artaxata.Hoc paulo poſt ſubſecutus eſt Iſmael cum triginta millibus equitum.Selymus verò plusquam octoginta equitum millia ſecum ducebat, præter peditatum innumeræ multitudinis,qui ſub diverſis præfectis agebantur. Europæo equitatui præerat Caſſambaſſa,Aſiatico verò Sinanbaſſa Eunuchus.Ibi dato pugnæ ſigno, primo impetu cæſus eſt Caſſambaſſa Turcicus, & Vſtaoglis Perſa. Iſmael glande plumbea humerum transfoſſus è pugna ſe ſubtraxit: & ſuorum ſuaſu in Mediam ſe recepit. Conflictus hic habitus eſt ad vrbem Choin in Zalderanis campis anno Chriſti 1514.

In quo Selymus pluſquam triginta ſuorum millia amiſit, cum Caſſambaſſa Græciæ Beglerbego, & triginta ſex Sangiacis: inter quos fuerunt Turabes & Machometes Malcocis filij.In tanta tamen ſuorum ſtrage victor remanſit Selymus: ad quem ſtatim legatos expediverunt oppidani Chois & Tebriſij, offerentes annonam, & reliqua neceſſaria ad reficiendum ſuum exercitum. Iſmael paulo poſt reparatis viribus cum equitatu Iberorum, Albanorum,& Parthorum redijt in Selymum, qui memor ſe non potuiſſe cum centum & quinquaginta millibus ſelectiſſimorum hominum ſuſtinere tringinta Perſarum millia abductis ex Tebriſio fabris armorum,multa annona, & pannis omnibus, qui in vrbe erant copioſi, ſericis

per

per regionis Hobordenem & Belisenem ad Euphratem redivit: in cuius traiectu duo fere hominum millia perierunt, & impedimentorum plusquam dimidia pars in Iberorum insequentium venit potestatem: maximè bellicæ machinæ, & tormenta ænea, quorum violentia globis ignitis pulvere sulphureo concitatis plurimum cladis Persico exercitui evenerat: Selymus celeri fuga evadens, cum ad Antitaurum pervenisset, ab Aladuliensibus montanis qui in eius milites labore viarum defatigatos diversas fecerunt excursiones, & multos oppresserunt, locorum difficultate attonitos. Salvi tamen pervenerunt reliqui Trapezuntem cum suo Imperatore: postea Amasiam Cappadociæ vrbem appulit, vbi hibernavit.

Anno sequenti sub veris principium collecto iterum exercitu in Bithynia, Ponto, Phrygia & Cilicia, accersitisque aliis copiis ex Europæis regionibus Græcia, Thracia, Illyrico & aliis, rediit in Persarum ditionem. Persæ tunc præsidio tenebant Ciammam vrbem, sitam in vlteriore Euphratis parte paulò infra Melis ostiũ. Hanc obsidet Selymus, & expugnat, occupato contra Bacrrianos & Hircanos Ismaele, qui cum suis Persis ad Caspium mare militabat: Memor interim cladis acceptæ ad Antitaurum, in Aladoliensem regem arma convertit: quem vi cepit, abduxit, & interemit, defectione suorum destitutum: potissimum Saxovaroglis Principis factione, cuius patrem rex Aladoliensium dolo sustulerat. Fugientem enim Aladoliensem consecuti sunt Sinanbassa & Saxovarogles, latitantemque in caverna, ac proditum à rusticis, vinctum ad Selymum adduxerunt, qui illum suspendio mulctavit. Post cuius mortem, regnum in provinciam redactum est, & in tres Sangiacatus distributum.

Quibus Saxovarogles præfectus est: Relictoque Sinanebassa Selymus Constantinopolim repetivit, vt Pannones in Mœsiam & Thraciam incursionem facientes coerceret.

Ismael interim rebus in oriente feliciter gestis, è vita decessit, quatuor superstibus relictis filiis, Tamma, Helca, Becrane, & Somitza. Quibus regna & provincias ita partitus est, vt Tammæ primogenito rei summam Persicumque diadema reliquerit. Helcas occupavit Assyriam & Babylonem, quę dicitur Bagadat, cum tota Mesopotamia. Bicran possedit Albanos, Iberos, Medos, & regiones mari Caspio conterminas. Somitza verò Parthos, Hircanos, qui Coraxei vocantur, confines Zagatis Tartaris qui olim dicti sunt Arij, Aracosij, & Margiani, populi Sogdianorum, & Bactrianorum.



AVCTOR ES VT SELYMꝰ SCEPTRO POTIATVR AVITO:
QVI VITAM RELIQVIS FRATRIBVS ERIPIET.




SCRIPTO ACHOMATE SATIS PIꝰES DVM PROSPICIS AT MORS
REDDETVR MERCES PRO PIETATE TIBI.



# MVSTAPHAS BASSA.



VSTAPHAS primò dictus Callogeros, natus patre Græco ſacerdote (qui Callogerorum religionis fuerat ſectator) in urbe Seres prope Amphipolim Macedoniæ. Homo fuit aſtutus, doloſus, & fide venali. Quæ interna vitia facilè manifeſtabantur ſignis exterioribus. Vultu maligno, & oculis ſimulatis. Is in prima pueritia captus, vivente adhuc Muchemete, inter pueros regios, qui Sarraiis nutriuntur, & educantur in omnibus exercitijs militaribus, ut poſtea idonei reddantur ad Servitium Imperatorum. Sub Baiazeto propter excitatum ingenium & promptitudinem animi, prudentiamque in rebus omnibus circunſpectam ad ſummas provectus eſt dignitates: Factus enim eſt Baſſaviſir, ab ipſo Principe, qui primus eſt gradus dignitatis ab Imperatoria. At cùm Baiazetus jam ſenio pedumque dolore debilitatus eſſet, cogitaretque de ſucceſſore imperii, cui adhuc vivens ſceptrum regni committeret, Achmetem ſive Achamatem natu majorem filiorum eligere ſtatuerat. Sed Impera-

peratoris voluntati repugnabant præcipui militiæ Duces,qui à Selymo juniore Baiazetis filio corrupti pecunia erant; quemque noverant animo ferociori, & ambitiore, ſperabantque ſub illius Imperio majora emolumenta recipere: Ii enim ſub prętextu officii,Baiazeto indicarunt exercitus nũquam permiſſuros:vt Imperatore vivente & valente, alter rerum gubernacula ſuſciperet:Inter eos qui id ſuadebant erat hic Muſtaphas baſſa ſummus Vezir, Boſtanges baſſa hortorum Ducaginorum Præfectus, natus illuſtri familia in Aetolia, homo tamen avarus, ambitioſus, & fide parum integra, ſed autoritate apud Principem valens. Horum conſilia ſequebatur Aiaxbaſſa Ianizarorum Prætorianorum præfectus, quibus adhæſerant reliqui minores duces:Solus Cerſeoglisbaſſa Baiazeto fidelis Achomatis partes fovebat:Is natus erat Cherſecho patre,domino montis nigri inSclavonia. Cui cúm deſponſata eſſet puella Serviæ Deſpotæ filia ſingularis formæ: nuptiarum die Pater Cerſeches Virginis venuſtate pellectus, illam filio eripuit, ſibique uxorem junxit. Filius patris inſolentia & libidine irritatus Conſtantinopolim relicta patria ſe recepit,ad Baiazetem, deficiensque à Chriſtiana religione, rejecto Stephani nomine quod in baptiſmate ſortitus erat, poſt circumciſionem vocatus eſt Achometes Cherſcoglis.Eius virtute & prudentia plurimis in expeditionibus feliciſſimè uſus eſt Turcarum Imperator. Hoc ſolo repugnante, reliqui omnes Baſſæ Bajazeto erant autores, ne Achomati filio natu majori committeret regni adminiſtrationem. Sed eam vita ſuperſtite ſibi reſervaret. Achomates cùm factione Baſſarum patris animum immutari vidiſſet, ſeque quodam modo ſpretum,ac ſua ſpe dejectum,indignabundus in A-

ſiam re-

ſiam rediit, provinciiſque deprædatis regem Aſiæ ſe juſſit publicè proclamari. Baiazetus filii non ferens audacem temeritatem, & ambitionem, quòdque legatos, quos ad eum pater miſerat ut illum in officio retinerent, occidi juſſiſſet, inſtigatione Muſtaphæ baſſæ, & aliorum, parricidam filium declaravit, & publicæ quietis perturbatorem. Autorque fuit Muſtaphas, ut ex Aegypto revocaretur Selymus, qui patris nomine arma moveret in rebellem fratrem. Selymus igitur Conſtantinopolim reverſus, à Ianizaris, totoque populo Sultanus ſalutatus eſt, & inſtigante apud patrem Muſtapha, Imperii adminiſtrationem accepit.

Proditum ſe videns à ſuis ſenex Imperator ad Dymoduchum ſecedens in via æger, porrecta pro pharmaco venenata potione, extinctus eſt. Selymus rerum potitus fratres ſuos, fratrumque filias bellis ſuperatos è vita ſuſtulit. Ex quibus cùm ſoli ſuperſtites eſſent Amurates & Aladinus Achomatis filij, qui paulò antè redierant Amaſiam, ex qua anno præcedente fuerant à patruo Selymo dejecti Achomate patre in montes Cappadociæ ſe recipiente. Vt igitur Selymus hos adoleſcentes incautos opprimeret, delectos & expeditiſſimos equites præmiſit Amaſiam, qui illos à fuga impedirent patre in Caramaniam profecto, ut illic auxilia peteret. Vrbs Amaſiæ invalidis cincta erat mœnibus, & parum firmo munita præſidio. Hæc cúm moliretur Selymus, Muſtaphas baſſa, qui illius crudelitatem & ferociam jam deteſtari cœperat, ſortem adoleſcentum miſeratus, illos de patrui deliberatione & conſilio per celerem curſorem literis fecit certiores. Quas cum legiſſent, citiſſimè patrem ab itinere revocarunt, qui præſidio fidiſſimorum, fortiſſimorumq;

R militum,

militum, urbis custodiam firmam reddidit. Paucis post diebus cùm Othmannici equites ad Amasiam venissent, & Achomates eò redivisset, in insidias ejus lapsi, omnes ad internecionem cæsi sunt, aut capti. Sed contigit ut servi Achomatis, qui Selymanis equitibus captivis illudebant, illis objicerent non deesse domino suo ex præcipuis aulicis Selymi, à quibus omnia ejus rescirent consilia; & qui justiori parti faverent, innocentesque tutarentur contra crudelem & barbaram atrocissimi tyranni immanitatem. Postquam aliqui ex his captivis liberati Prusam reversi essent, Imperatori quæ audiverant Amasiæ ordine declararunt. At ille jam antea suspectum habens Mustapham bassam, cujus animum alienatum à se sentiebat, & illius potentiam nimiam non ferebat, illum jussit ad se venire, exprobansque ingrato priora beneficia, quæ tam pater, quam ipse in servum mancipium contulerant: antequam se posset excusare, jussit in sua præsentia jugulari. Corpus mortui nudatum est, & per ignominiam tractum est in publicum populi spectaculum: qui fortunæ lubricum mirabatur favorem: quod eum virum quem paulò antè tanta autoritate valentem, tantis opibus & potentia fultum, vicissitudinis mobilitate eò redactum cernebant, ut inhumaniter honore sepulchrali, & funebribus exequiis privaretur. Hanc meritorum compensationem retulit à Selymo, qui turpiter ejus gloriæ invidebat, cùm beneficia ab eo accepta ex ęquo non posset remunerare.



TE SYRVS ET PHARII NON SVSTINVERE MANIPLI
INQVE TVAS VENIT GAZA SVBACTA MANVS.




AEGYPTI ARMATO DIVEXAS MILITE FINES:
VICTORI HOSTILES QVÆ DABIT INFERIAS.



# SINAN BASSA.



INAN ex Albania ſive Epiro natus eſt in montibus Lartæ loco ignobili : Illi puero in cunis dormienti ſcroffa ſuperveniens mordicus avulſerat genitalia : pauloque poſt puer Chirurgorum curæ commiſſus, priſtinæ valetudini reſtitus eſt, & eunuchus hoc modo redditus. Tandem Conſtantinopolim deductus ab iis qui Chriſtianorum filios in ſervitium Principis Othmannici redigunt, & Mechemeto Selymi avo traditus : Qui cùm eſſet habitu corporis præſtanti, facieque liberali, & aliquam indolem boni ingenii præſe ferret, ab Imperatore amatus eſt, & ad præcipuos honores poſtquam adolevit promotus. Eodemque ſucceſſu ſub Baiazete, maximè ſub Selymo propter prudentiam, fortitudinem, exactumque in rebus gerendis judicium uſus eſt : à quo ſemper inter primos militiæ duces eſt conſtitutus. Nam in ea pugna tam celebri, quæ ad Artaxatam in Zalderauis campis habita eſt.

Anno Chriſti 1514 inter Selymum & Iſmaelem Perſam, qua tot utrinque hominum millia ceciderunt, Equi-

tatui Asiatico præfectus erat Sinanbassa, quem admodum & Cassam bassa erat Europęo: Dumque anno sequente secunda in Persidem expeditione Ciammam urbem ad ripam Euphratis expugnasset Selymus, ejus virtus Turcicis rebus plurimum incrementi attulit: cumque Aladuliensem regem cum Saxovarogli fuga retraxisset, quo interempto ejus regnum in Provinciam redactum, illique Saxovarogles præfectus, & Sinani bassæ reliquus exercitus Asiaticus Imperatoris iussu commissus est. Cumque defecisset à Turcis Cayerbaies Alepi præfectus, fusus que esset Campson Syriæ Sultanus, fugissetque Iamburdus Gazellus cum Mammalucorum reliquiis, & Memphim venissent: dum Damascus, Tripolis, Berythum, Sidon, Ptolemais, & ipsa Hierapolis in potestatem Turcarum devenissent; rebus in Syria compositis Selymus Sinanbassam cum quindecim millibus equitum præmisit in Palæstinam, inde Gazam, quæ desertis arenosis proxima est, per quæ transitus patet in Aegyptum. Sinanbassa consilio magis quàm vi Gazam occupavit, Arabibus, qui ea loca infestabant, repulsis: Tomombeius à suis post Campsonis mortem Sultanus factus, Gazensibus certior redditus est de Sinanis Bassæ rebus, rationem indicantes, qua posset opprimi incautus, in eum missus est Gazellus cum Mamelucorum equitatu & Arabum turmis velocibus: His per deserta celeri contentione Gazam petentes primus Sinan (proditiones quidem Gazensium ignarus, sed quia ut prudens erat non satis fidebat hostibus recenter superatis & captis) excepit, ab itinere defatigatos opprimit, diffugientibus Arabibus, & cæso Orchania Gobæo Cairi judice, & præfecto Alexandriæ qui cum Aegyptio equitatu venerant. Gazellus citissimè

tiſſimè evadens, Memphim eadem, qua venerat via, remeavit. Gazenſes, dum hoc prælio intentus eſſet Sinanes, irruerunt in ejus caſtra, ubi aliquot Turcas relictos jugularunt, & impedimenta ſarcinasque diripuerunt: duoque millia equitum, quod Selymus ad Sinanem mittebat ſpoliatos in fugam verterunt: in quos paulo poſt hoſtiliter irruentes Arabes, omnes ad internecionem cecidiſſent, niſi Iuliibegi Achaiæ præfecti adventu repreſſi eſſent prope urbem Rama. Hæc poſtquam nunciata ſunt Selymo, illius animum valdè ſolicitum reddiderunt: Timebat enim Sinani, in cujus providentia ſpem omnem occupandæ Aegypti conſtituerat. Ne igitur tantis difficultatibus laborantem tempeſtivo deſtitueret auxilio, properato itinere copias omnes ad Sinanem miſit. Qui de proditoribus Gazenſibus ſupplicium ſumens, auctores maleficii morte punivit bonaque urbis diripuit, & militibus ſuis erogavit. Triduoque poſt in urbe moratus, ne hoſtibus jam metu conſternatis animum recipiendi tempus daret, præparatis utribus, quibus aquæ ad exercitus potum poſſent importari, octo dierum ſpatio, ſuperatis deſertorum arenis, Memphim pervenit, quamvis in itinere defatigatos, & ſolis æſtu peruſtos plurimùm infeſtaſſent Arabes: Cumque ad Mataream oppidum ſex à Memphi milliaribus diſtantem adpuliſſent: ad Sinanem compatriotam quatuor equites Albani tranſfugerunt à Tomombeio, quorum conſilio monitus rem proſpere ac feliciter contra hoſtem geſſit. Tomombeius enim machinas bellicas ſub aggeribus occultaverat, ut Turcas appropinquantes, & dolorum inſcios, ignitorum globorum ejaculatione lethifera poſſet opprimere. Monitus igitur opportunè Sinanbaſſa ab equitibus transfugis, in-

gis, insidias hostium prudenter declinavit. Nihilo tamen minus reformata acie à tergo instantem Sinanem Tomombeus tanta excepit virtute, tanta utriusque exercitus obstinatione, ut neuter alteri promptitudine aut animositate cedere videretur, & in hoc conflictu cecidit Sinanbassa, Mammelucorum oppressus violentia, qui duce Bidone & Gazello in illum violenter irruerant: pugnatum est toto die ab ortu solis usque ad occasum, spectante conflictum Selymo: qui commissus est 24. Ianuarij, anno 1517.



FRATRIB' IMMANE EST SCEPTRVM VSVRPARE PEREMTIS,
REGNANDI FRANGIT NEMPE CVPIDO FIDEM.




ASSYRIOS, DVM PERSA FVGIT, TIBI REDDE SVBACTOS
ECCE TIBI ÆGYPTVS SERVIET ATQVE SYRI.



# SELYMVS OTH-MANVS.



AIAZETO patri mortuo Postquam solenniter parentasset Selymus, nihil prius habuit, quam cum exercitu in Asiam traijcere: Cuius adventu perturbatus Achomates eius, imparem viribus sentiens, in montana Cappadociæ & minoris Armenię confugit, militem coacturus & confœderatorum auxilia. Cumque non posset congredi cum fugiente, Selymus in Bithyniam redivit; pactisque cum Veneto Senatu induciis, & cum Vladislao Pannone rege, & Sigismundo Polono ne suis obstarent conatibus; neve sibi metueret à filiis suorum fratrum, quinque adolescentes de medio tolli præcepit: inter quos fuit Mahometes Sciansciæ filius, paulo antè captus Larandæ: eadem truculentia sunt interempti Zilib Mechemetis filius & Orsanes filius Alensciati. Cumque in Amuratem & Aladinum filios Achmetis vel Achomati misisset aliquot equites, qui eos opprimerent, res juvenibus declarata est per Mustapham bassam, qui iampridem Selymi

crudelitatem averſabatur. Paulo poſt ex Pruſa diſcedens iter ſe in Cappadociam ſimulabat ſuſcipere, ſed in Lydiam ſubitò ſe convertit, vt Corchutem fratrem qui tunc Amaſiæ dabat operam Philoſophiæ interciperet. ſed Princeps metuens fratris crudelitatem in Tekienſem regionem fugit: quo cognito vnum è janitoribus ſuis Azemim Caſanem Agam expedivit, qui illum è fuga retraheret: Iamque pervenerat cum duobus tantum ſervis ad maritimam oram Corchutes, vt ſcapha piſcatoria in Rhodum tranſiret, ſed Boſtanges baſſa Selymi gener qui illam orã claſſe tutabatur, prope Smyrnam vbi latebat in ſpelunca à ruſtico proditum cepit: dumque illum Pruſam duceret, de Selymi mandato prope oppidum Erigos ſtrangulatus eſt: illiusque corpus Pruſam perlatum, & ſepulchro ſuorum maiorum illatum.

Anno 1512. Achomates reparatis viribus, & adiutus ab Iſmaele Perſarum rege cum quindecim equitum millibus venit in Galatiam, deceptus multis literis, quæ ad illum à pluribus baſſis, & Ianitzaris juſſu Selymi miſſæ erant, pollicentibus defectionem, cum primum præſens adeſſet: quibus fidem adhibens, copias in fratrem adduxit, & ad Neapolim Caramaniæ in planicie conflictu habito victus, fugæ ſe dedit, à qua retractus, & ſtrangulatus, cum reliquis ſepulchro maiorum Pruſæ ſepultus eſt. Amurates morte patris conſternatus, cum reliquiis equitatus Perſici Amaſiam rediit, & communicato cum Aladino fratre conſilio, Euphrate traiecto ad Iſmaelem Perſarum regem confugit, Aladinus ſuperato monte Amano Ciliciæ, in Syriam ſe recepit ad Campſonem Gaurum Sultanum AEgypti. Selymus Amaſia deprædata, abductisque theſauris omnibus, Conſtantinopolim remeavit:

ſed cum

ſed cum in vrbe ſæviret peſtis, Hadrianopolim ſucceſſit; vbi totam æſtatem hiememque ſequentem venationibus & genio indulgens, loco amœno & ſalubri exegit. Amuratem Achomatis filium humaniter excepit Iſmael, illumque ſibi fecit generum: & cum Vſtaogli Perſici exercitus duce ſtrenuiſſimo decemque millibus equitum illum remiſit in patruum. Primò eius adventu res ſatis feliciter ſucceſſit: ſed Chendemis baſſæ, (qui Sebaſta agebat Anatoliæ Beglerbegus) incurſu, vires Perſicæ debilitatæ ſunt: Adveniente autem Selymo in fugam verſi ſunt in ſequentibus animoſè Turcis: quibus ne vlla ſuppeteret annona, regiones omnes longè lateque, quà hoſtes venturi erant, depopulatus eſt; ferro ac flamma conſumens, quicquid ad alimoniam hominum, & pabulum iumentorum faceret: Selymus tamen ſumma cum difficultate Araxe ſuperato ad Artaxatam penetrans, in campis Zalderanis cum Iſmaele, Amurate, & Vſtaogli congreſſus eſt, pugnaque cruenta victor, & quaſi victus evaſit. Nam eo prælio Chaſſambaſſa Romaniæ Beglerbegus, & Vſtaoglis cæſi occubuere, cum triginta tribus Sangiacis, & plusquam triginta Turcarum millibus. Inter Selymi Principes Turabes vel Thures Alisbegus Malcozii filius cum Machomete fratre inſigne virtutis ſpecimen exhibuerunt: ruptis enim ordinibus, & facta vi via, ad vexillum regium Iſmaelis penetrarunt, & illi vulnus in humero inflixerunt. Excepti tamen à Perſis duo fratres, viriliter ſe defendentes tandem proſtrati ſuccubuerunt, & generoſè mortui ſunt. Iſmael verò ſuorum conſilio è pugna ſe ſubtraxit. Pugna hæc accidit 26. Auguſti anno Chriſti 1514.

Impedimenta & ſarcinæ Perſarum in manus Sely-

mi redacta sunt,& vna vxorum Ismaelis, cum aliis multis nobilium mulieribus: Cumq; Ismael Tebrisij se tutū non existimaret in Sultaniam fugit: vnde paulo post cum auxiliis Albanorum & Iberorum, Parthorumq;, Turcas invadere conabatur: Sed Selymus post tantam suorum stragē non satis tutum fore manus conserere cum hostibus in tam difficili regione, abductis Tebrisio omnibus fabris armorum & opificibus ad Euphratem suos reduxit, in cuius traiectu, magna impedimentorum, & machinarū facta jactura, multi submersi interierunt, multi ab hostibus inseqentibus cæsi. Salvus tamen cum ijs qui superfuerunt, venit Amasiam, vbi hibernavit.

Anno autem sequente reparato exercitu in Persidem reversus est Camachoq; vel Ciamma vrbe ad Euphratem sita expugnata, Dulgadirensem ditionem Aladoliensis regis habitationem in provinciā redegit; quam in tres Sangiacatus divisit, iisque præfecit Alibegum Saxovaroglem qui Aladenlis ex fratre natus erat, quiq; paulò antè ad Selymū deficiens, eius res non parum promoverat. Relictoque Sinanebassa cum parte copiarum in Asia, ipse Constantinopolim se contulit.

Hoc tempore Ianizari Pirisbassæ castra per seditionem ingressi, magnas turbas excitaverunt: sed huius seditionis autorē Achmetem bassam Ducaginoglim Vezirazemē curavit interfici Selymus: Constantinopolimq; reversus Ischenderem bassam generum suum, cum Tazisade Cadileschero, & Bali Germe Segnanebassa eiusdem seditionis Amasiæ factæ conscios supplicio mortis affecit: Pannonum quoque incursiones in Mœsiam & Thraciam, Ionusbassæ Sangiaci Bosnę Illirici coërcuit.

Cumque audivisset Campsonem Gaurum (qui Cansaves

ſaves Gauris à Turcis vocatur) Syriæ & AEgypti Sultanum Iſmaelis Perſæ res amplexum eſſe, ad eum miſit legatos Iachin militarem ducem, & ſuum Cadileſcherum, qui Muſulmannicæ religionis ſummus eſt Pontifex, vt hi Campſonem ab Iſmaelis amicitia & confœderatione diverterent, quod novarum ſuperſtitionum autor & fautor eſſet, & Mahometicæ legis corruptor. Sed Campſon Selymo propter crudelitatem infenſus, quodque eius vires potentiam metueret, vereretur que ne poſt Perſas ſubactos, illum quoque è Syria detruderet, reſpondit Legatis ſibi nihil eſſe negotij cum Selymo; ſe amicis oppreſſis opem quantum illius facultates ferrent, laturum: Legati re infecta rediverunt ad imperatorem ſuum, qui militem paratum jam duxerat in Lycaoniam traiecto Boſphoro, relicto Solymano filio & Pyrrobaſſa Cõſtãtinopoli: navalibus autem copiis Zafferen Eunuchum, cui maximè fidebat, præpoſuit. Iamque Selymus venerat Cæſaream, cùm Iachis & Cadileſcherus à Campſone redierunt: cuius reſponſo acerbiſſimè irritatus eſt: finxit tamen ſe iter inſtitutum in Perſidem velle perſequi: vtq; Sultanum deluderet, aliquot ex ſuis equitibus præmiſit, qui Sebaſtam (quæ hodie dicitur Sivas) proficiſcerentur. Ipſe verò celeri regreſſu à monte Tauro in Commagenam irruit, præ currẽte Saxovarogli Aladulienſe, qui occuparet loca ſubiecta Amano monti. Dividit enim Amanus Ciliciam à Commagena & Syria. Campſon ſubita Turcarum irruptione perturbatus Damaſcum properare ſtudebat. Sed interceptus in via, conflictuque habito ſuperatus eſt, & in fuga mortuus: hoc contigit .27 Auguſti 1515. eodem die 1515.
quo ſuperiore anno in Zalderavis campis fuſus erat Iſmael Scachus Parthorum rex.

Mortuo

Mortuo Campsone Caierbeis Calepi, quæ est Hierapolis, præfectus ad Selymũ defecit, illique dedidit vrbem: Ipse vero Iunusbassam misit Damascum, quod vltro deditionem fecit, cum Tripoli, Berytho, Sidone, & Prolemaide, Mammelucis per deserta in AEgyptum fugientibus.

Rebus igitur summa felicitate, ac pari celeritate in Syria compositis, Sinanbassam cum quindecim millibus equitum præmisit in Palæstinam, inde Gazam, quæ desertis vicina est: Hanc statim Sinanbassa repulsi Arabibus occupavit: Mammeluci, qui duce Iamburdo Gazello Memphin venerant, Tomombeium loco Campsonis Sultanum constituunt: qui apud eos cum magistratus titulum habebat, qui Vlu Duveidar vocatur: qui summus est à Sultano gradus: Is statim Gazellum, (quem Turcis Zamberdim Gazatim Meliculem Vmeram, hoc est Beglerbegum Damasci vocant) cum parte sui exercitus remisit Gazam, qui Sinanembassam interciperet, antequam Selymi exercitus junctus esset: Is per solitudines arenosas properatis itineribus festinans, ad confinia Gazæ pervenit, De eius adventu certior factus Sinanbassa, qui Remle erat, nocturna profectione copias ducens in hostem, illi occurrit prima luce, invadit, & profligat, magno Circassorum Mamelucorum numero cæso: reliqui superstites compulsi sunt remensis desertis in AEgyptũ reverti. Turcæ quos Gazani prodiderant, male excepti sunt à civibus: qui in castra Sinanis bassæ irruentes, crudeliter sævierunt in ægros, impedimenta sarcinasque diripuerunt. Et duo equitum millia, quos Selymus ad Sinanem mittebat, oppressos spoliaverunt; & in fugam verterunt: in quos Arabes paulo post irruentes, omnes ad internecionem sustulissent, nisi prope vrbem Rama adventu Iulij Sangi-

aci

aci Achaiæ repulsi essent: quem Selymus ad Sinanē quoque mittebat, vt illius copias augeret, licet inscius esset eorum quæ gererentur. Quem cum postea audivisset periclitari, Hymbracorbassa in limitibus Persiæ constituto, nova auxilia misit iterum ad suos, qui tempestivè succurrerent Iulebo, sive Iulio Sangiaco, inter valles pagi Carabasræ periclitanti, propter Arabum impetum, qui Turcas infestabāt, Selymus, qui in Sinanis prospero successu & prudentia ad occupandam AEgyptum maximè fidebat, ad illum misit reliquam exercitus partem. Ipse verò paululū à via deflectens loca sancta, & Hierosolymas invisit: peractisque precibus, & muneribus datis Christianis sacerdotibus, postera die ad iter institutum reversus est. Sinan interim de proditoribus Gazanis supplicium sumpsit, eorū facultates militibus suis partitus. Selymus interim Tomombæum legatum misit quendam Muratē Circassium qui domesticus erat Turcico Imperatori, vt cum eo de aliqua compositione honesta ageret: quem Tomombæus, cum ijs qui simul erant in hac legatione iuncti, trucidari iussit. Horum cæde gravissime offensus Selymus, castra Ramam sive Remlen movit: Sed cum eò venisset, audivit Remlenses cives, eo tempore quo Sinanbassa nocturno itinere militem duxerat ad opprimendum Gazallum, irruisse in castra, & interfecisse Turcas, quotquot inventi sunt, cadaveraque mortuorum abiecisse in fossas & puteos: horum temerariam crudelitatem cædis autorū morte punivit: Cudsimubarecumque profectus, precibusq; nocturnis in Axamessita peractis, postridie circa meridiem Gazam venit, copiasque suas cum Sinane coniunxit. Cōgregato igitur in vnum exercitu, ne iam perterritis animū recipienti spatium daret, triduo tantum Gazæ moram fa-

facientes,superatis desertorum arenis,Sinanus iter Cairū suscepit,præparatis prius vtribus,quibus aqua portaretur ad resocillandos milites siti deficientes:Sed pluviis copiosis refecti sunt, ac sine difficultate solitudinibus relictis Salachigem venerunt:vbi oneratis aqua jumentis, viam continuarūt Sed priùs Selymus Chuseinem bassam interfecit,quod dixisset temerè susceptam fuisse illam profectionem.Cum igitur ad Methaream vrbem venissent, illic invenerunt Tomombæum cum duodecim Mamelucorum millibus & innumera Arabum multitudine, qui sese hosti viriliter opposuerunt, commissoque prælio,diu incerto pugnādum est Marte: tandem Sinanebassa intercempto, ac nocte interveniente, diremptum est prælium quod contigit anno Christi 1517.

Tomombæus celeri fuga se Memphim recepit,cum suorum superstitibus reliquiis. Capti in fuga sunt duo insignes Mamelucorum Duces grauiter saucii Bidon & Duveidares Magnus:quos statim Selymus jugulari præcepit. Refecto postea per tridui spatium exercitu Turcico longis itinerum laboribus defatigato,eum statim duxit in planiciem,quæ est inter Memphim & Bulacū, propter aquarum commoditatem: Tandem impetu violento in vrbē irruentes,per duos dies, totidemq; noctes, eventu rerum vario,decertarūt:donec re desperata,Tomombæus trans Nilum fugit.Gazellus qui paulo antè missus erat in Thebaidem,ad colligendum militem,cum videret omnia depopulata,vrbem captam,Tomombæumque exactum, neque consilio proficere posse, neque reipsa, cum aliquot Arabum ducibus ad Selymum transiit, à quo humanissimè exceptus est, & inter primos militiæ duces ob virtutē singularem constitutus. Tomōbæus raparatis in Saitensi vel

ſi vel Scieċtica regione viribus rediens, meliorem rei gerēdæ expectabat opportunitatem: Interim Selymus vrbe Memphi potitus, In Sultanino divertit palatio: in ſuperiore conflictu capti erant duo millia & quingenti Circaſſi, ex quibus duo millia jugulari juſſerat Selymus, reliquos cuſtodiæ tradi præceperat. At ne toties rei dubiæque fortunæ eventum experiretur, Legatos ad Sultanum mittere libuit, qui illum ad honeſtas aliquas pacis conditiones invitarent. Sed hos Mameluci ignominioſè exceptos trucidarũt. Tomombæus cum ſuis ad Nilum contendit, vt Turcas in traiiciendo fluvio impeditos ex improviſo adortos opprimeret. Sed in ea contentione, Canoglis Selymi ſororius natatu cum ſuis Tataris ſuperato flumine, Muſtapha, Gazello, & Cartbeio advenientibus, Tomombæum in fugam verterũt: Arabes intercluſis itineribus illum è fuga retraxerunt: quem Memphim reductum Turcicus imperator juſſit ſtrangulari. AEgyptũ igitur in ſuam poteſtatem redactam in Sangiacatus diſtribuit: Ionuſem baſſam præfecit Memphi: inde abiens, iter in Syriam iterum inſtituit. Alexandrini re intellecta, deditionem fecerunt, quos ſecuti ſunt Damiatæ (qui ſunt Peluſij) Selymus cum in AEgypto videret omnia pacata, liberalitate ſibi conciliavit Arabes, Mauros, & eos qui Syenen habitant. Amyraſſes & Rayſalomon, (quos annis ſuperiorib. Campſon cum claſſe miſerat ad ſinũ Arabicũ, vt Luſitanos ex emporiis Indicis aromata & odores in Hiſpaniam divertentes exigerent) cum intellexiſſent Campſonem & Tomombæum cæſos, AEgyptumque à Turcis occupatam, non parvo metu correpti ſunt. Amyraſſem Meccam fugientem Rayſalomon in via captum ſubmerſit, claſſeque, quæ Sueſſæ erat in portu poſitus, ad Selymũ

 defectio-

defectione transiit. Huius copiis navalibus adiuti Turcæ dextram Africę partem invaserunt; omnesque provincias oræ maritimæ, quæ vsque ad Abyssinorum fines protenduntur, occuparunt.

Selymus igitur redactis ad suum Imperium tot hostium provinciis, bireme per Nilum vectus nauclero Curtoglio Halicarnassæo Pyrata, venit Alexandriam prima Iulij anno 1517. vt vrbem & arcem lustraret, quæ ad Pharum structa est: vt simul videret classem, quæ paulo antè Constantinopoli illuc appulerat. Cumq; eò venisset, Mamelucos omnes, qui captivi detinebantur, occidi jussit: & quingentas circiter AEgyptiorum potentiorum familias in Thraciam transportari: ne in eius absentia res novas aggrederentur. Simul omnes thesauros tam privatos quam publicos secũ avexit: & marmora exquisitiora, ornamentaq; sumptuosà, quibus Memphitica palatia culta fuerant: præcipuè illud insigne palatiũ Dultibæę Sultanæ, quod ad orientalem partem lacus, qui Memphi est, visitur, omni lapidũ preciosorum incrustatione nobile: quos fama refert fuisse sumptos ex antiquo illo Labyrintho à Meni rege ædificato: id totum denudatum est, & spolia Constantinopolim translata.

At cum intellexisset Ismaelem Scachũ Persiæ regē cum potenti exercitu se accingere vt in fines Turcicos penetraret, constituto Cayerbeio AEgypti præfecto, firmissimoq; pręsidio Memphi imposito, in Syriam festinabat, Sed literis Hymbracor bassæ (quē reliquerat in limitib. Persicis) certior redditus est, Ismaelē impeditum esse bellis contra Scythas & Hyrcanos, neq; quicquam metuendum esse in Perside: Quare mutuo consilio, relicta Gazello Syriæ pręfectura, Constanti. felici navigatione reversus est. Rebusque

que

que feliciter vbiq; gestis, cum aliquandiu à bellis abstinuisset, Constanti. relicta, voluit Hadrianopolim se cōferre, vt illic aëre benigniore & loci amœnitate frueretur & se recrearet. Hoc in itinere cū Inzuam cum aliquot suorum amicorū venisset, balneum ingresso tumor & carbunculus pestilēs à tergo circa renes illi emersit, quo gravissimè tortus est. Inde Chiorlum vrbem Thraciæ contendens (vbi antea cum Baiazete patre conflixerat) vrgente necessitate, fixis tentoriis substitit: Dumq; morbo curando intenti essent medici, Dephterdarios quæstores Rationales sive Cameræ præsides, cum Piri & Achmete Bassis præmisit Hadrianopolim, qui præpararent omnia necessaria ad festū solenne proximum Bairam, quod incidit in septembrem ieiunio præcedēte, sicut apud nos Pascha. Retinuit interim apud se solum Ferhatem bassam, cum quo de rebus suis ageret: Cumq; illius morbo levamē adferre non possent medici, eodem illo in loco vbi pugnam conserue rat cum patre, & illi venenum dari præceperat, extinctus est anno 1520: postquam imperasset an. 8. & mensibus 8. diebus 8. Princeps acumine ingenij & prōptitudine clarus nisi tantas virtutes infamasset barbara in suos crudelitate. Præter parentem, fratres, ac fratrum filios, sustulerat de medio benemeritos Mustacem Callogerum, Chendemē bassam, Bostangem Ducaginoglin generum suum, Ionusbassam & alios viros illustres: quæ omnia tantum Principem in odium suorum meritò adduxerant.

QVID IVVAT AEGYPTO SYRIAM IVNXISSE, TIBI SI
SVLTANI TITVLOS INVIDA FATA NEGENT.








# CAMPSON GAVRVS.



AMPSON GAVRVS, qui Turcis dictus est Cansaves Gauris, Aegypti Syriæque fuit Sultanus, homo singularis potentiæ & autoritatis inter Mamelucos Circassos, qui Memphi imperabant, & ex sua gente Sultanum, hoc est, dominum eligebant, penes quem omne jus imperandi consisteret. Is non mediocriter perculsus recenti calamitate, qua priores aliquot Sultani factione militum sublati erant, cùm à primoribus Mamelucorum tolleretur humeris, & in palatium invitus deferretur, eam dignitatem obstinatè recusabat, tanquam possessoribus exitialem, rogans cum lachrymis amicos adstantes, ut illum vivere finerent in privato statu, neque illum coniicerent in vitæ periculum. Excusabat enim facultatum tenuitatem, quæ non sufficerent ad congiarium militib' erogandum; quòdque illi deesset consilium, & potentia, qua posset tot factionibus se opponere. Nihilo minus tamen Principes illum hortabantur, ne fortunæ munus contemneret; neve rempu-

blicam:

publicam,quæ ad illum supplex confugiebat,in tantis rerum perditarum tempestatibus agitatam desereret. His verbis Campsonem adegerunt ad sceptrum capiendum. Statimque Mamelucis distributo decies centenorum ducatorum millium congiario Sultanus communi consensu salutatus est: Inito regno rebelles è vita sustulit, & seditiosos, Syriæque & Aegypto summam tranquillitatem reddidit: ita ut sedecim annorũ spatio regnum illius nullis bellorum tumultibus vexatum sit. Potuissetque felix dici, si tam potens imperium, quod pace perpetua & immensa opulentia fundaverat, retinuisset tranquillum, neque ad Persarum partes transiisset, irritato Selymo Turcarum Imperatore totum orientem armis subjugante. Fidebat enim Mamelucis suis, qui Turcis non videbantur inferiores, tam arte bellica, quam consilio & experientia: Quique olim Caytbeie duce in Cilicia, Adena, & Tarsi magnas clades intulerant Turcis: Misitheum Palæologum, & Cherseoglen Baiazetis generum captivum abduxerant. Hic igitur Campson Baiazete adhuc vivente, cum Legati Ismaëlis Schachi Persarum regis ad Venetos missi essent, ut illos instigarent ad movendum contra Turcas bellum, neque quicquam profecissent, in Cyprum delati, deinde in Syriam multa cum Petro Zeno Venetorum in Syria degentium Consule communicassent, Venetos omnes qui Alepi, Tripoli, Berythii, & Alexandriæ negotiabantur rogatu Turcæ principis vinctos deduci jussit Memphim, indignissimèque tractatos vix vita salva post annum integrum non sine difficultate liberavit. At postquam rerum successu felicissimo Persarum vires non mediocriter diminuisset Selymus Baiazetis filius, qui fratribus omnibus sublatis, Orientes imperium

rium occupabat. Achemete fratre natu majore interempto, eius filius Amurates in Persidem fugit ad Ismaêlem Scachum, alter filius Aladinus superato monte Amano in Syriam se contulit ad Campsonem Sultanum,ut apud illum tuto vivere posset, à quo supplicis conditionem miserto, benignè exceptus est.Pauloque post Aladuliensium regno in provinciam à Turcis redacto, Regis filius Mahometes, Selymi crudelitatem formidans, ad eundem Campsonem transfugit illius opem implorans. Hi duo Principes cùm Sultano enarrassent quanta immanitate in populos subactos grassaretur Solymus, & quàm felici successu Asiam fere totam suo imperio subjecisset, homini non mediocrem injecerunt metum, compuleruntque ut armis communibus sese opponeret tyrannidi tantos progressus facienti, ostendentes certò fore ut qua erat ambitione & audacia, postquam Persas subegisset, in Syros quoque irrueret, & viribus impares subjugaret. Collecto igitur milite ex Aegypto & Iudæa in Syriam descenderat: Hæc res animum Selymi in Persidem iter molienti non parum offendit. Vtque Campsonem ab instituto diverteret, Legatos ad eum misit Cadilescherum summum Musulmannorum Pontificem & Iachin militiæ Ducem, qui belli in Persas causam illi declararent gravissima ratione moti: quod Persæ essent vanarum superstitionum inventores & doctores, totamque Asiam nova religione turbarent, contempta Mahometi prophetæ doctrina, quam communi sententia inviolatam & immutatam servarant Arabes, Afri, & Asiatici omnes. Legatos Campson longa oratione differentes contra Persas severè reprehendit : addens Sultanorum instituta id jubere ut justitiam colant, & oppressos ab hostium vi-


olentia liberent: Se non posse raptoris injusti partes sequi, neque Persarum oppressorum injurias inultas relinquere. Selymus cum suos Legatos nihil profecisse videret, superbo Sultani responso irritatus, illum statuit opprimere, antequam suis rebus prospiceret: Et jam trajecto Bosphoro venerat in Lycaoniam, ejusque exercitus Cæsaream attigerat. Campson verò suos milites ab Oronte per Commagenam duxerat Alepum (quæ fuit Hierapolis ad Singam fluvium sita: & quam Hyalon rex Scythiæ evertit, in cuius ruinis Alepius Iuliani Cæsaris temporibus novam urbem de suo nomine instauravit) Selymus itaque ut Campsonem falleret, iter cœptum in Persidem se prosequi finxit, præmissisque aliquot equitib⁹, qui Sebastiam venirent, ipse converso itinere à monte Tauro, in Commagenam irruit, præcurrente Saxovarogli Aladoliense, qui Amano monti subjecta loca occuparet. Campson inexpectato Turcarum adventu perculsus, suadente Iamburdo Gazello Amani & Apamiæ præfecto viro fideli, & artis militaris peritissimo, statuerat Damascum reverti, & illic belli eventum loco tuto expectare. Sed Cayerbeies præfectus Alepi & Commagenæ, Campsoni offensus, quòd eius fratrem veneno sustulisset, eundemque ipsæ vitæ formidabat exitum, hortabatur ut Turcarum expectaret adventum, & se illis viriliter opponeret: missis interim ad Selymum literis, illi promittebat Alepi deditionem, & arcis ejusdem urbis, cui præerat. Prælium utrinque summa virtute & animositate commissum est pugnantibus viriliter, Sybeise Balvano Tetrarcha Damasci, & Iamburdo Iazello. Sed deficiente ad Turcas Cayerbeia, interfectoque Sybeise, & alio Tripolis Tetrarcha, Campson jam senex proditionis dolore con-

consternatus, & laboribus subitæ fugæ pressus, dum conatur Damascum evadere, in via mortuus est. Gazellus cum reliquiis Mamclucorum equitatus, versus Damascum iter vertit. Postera die Selymus Alepum cum arce recepit, & Ianusbassam cum expeditissimis equitibus celeriter misit, qui Damascum occuparet: Illum cives, postquam Sultani exitum cognovissent, ultro receperunt: Et paulo post reliquæ urbes Syriæ eadem promptitudine deditionem fecerunt. Selymus inter cæsorum cadavera diligenter exquiri jussit Campsonis corpus; quod inventum jussit adferri in publicum, & omnibus videndum proponi: ut hac ostentatione victos perterreret Syros, & in obedientia confirmaret. Nam plurimi conabantur militibus persuadere illum adhuc vivere, & longis itineribus, properataque festinatione Memphim petere, ut illic novo exercitu Aegyptiorum & Arabum reparato, Syria Turcas exigeret, locorum ignaros, & annonæ penuria laborantes. Sed tam lugubri spectaculo consternati, omni spe recuperando libertatis excussa Selymo fidem & obedientiam promiserunt: Qui conditionis humanæ, rerum vicissitudinis memor, suasu amicorum corpus Sultani mortui putredine jam semiconfectum capulo claudi præcepit Alepumque transferri, & honorificè sepulchro inferri. Pugna hæc habita est 27. Augusti, anno domini 1515.

INDVBIO SVNT RES AEGYPTI: DESERE SCEPTRA,
QVÆ TIBI SVNT FRACTA NON RETINĒDA GVLA.





# TOMOMBEIVS.



OST Campſonis mortem Mameluci, qui pugnæ ſuperfuerant, Duce Iamburdo Gazello, (qui Damaſci hærere non auſus eſt) via mutata per ſolitudines arenoſas Syriam ab Aegypto ſecernentes, Memphim (quæ eſt hodie Cairus) pervenerunt. Vtque rebus afflictis conſulerent, Tomombeium ſive Tomombaim Circaſſum (qui tunc Deadarus magnus ſive Vlu Duveidar, vel Emir Chebir, hoc eſt magnus militiæ præfectus erat, maximus à Sultano magiſtratus) ſingulari virtute ac prudentia virum conſtituerunt ſibi Principem. Is enim ſolus erat, qui Mamelucorum dignitatem poterat reſtaurare jam oppreſſam & jacentem, & imperij collapſi ruinas in integrum reſtituere. At cum in armis rei ſummam conſiſtere ſciret, & omnem ſpem ſalutis in bello verſari, ſtatim ad arma fabricanda convertit animum, ad deligendum militem, & convocandum equitatum, aliaque neceſſaria ad militiam. Quapropter miſſis ad omnes vicinos Legatis, eorum opem contra hoſtem publicum implovavit, ab Arabibus & Africanis. Nunciosque ad

Ismaelem Persam festinare coëgit, qui illum rogarent ut in Commagenam & Asiam minorem præsidiis Turcicis ex maiori parte destitutam irrueret, hostemque ab incœpto bello averteret ad defendendas suas provincias. Interim Sinanbassa repulsis Arabibus, qui ea loca incursionibus infestabant, Gazam jam occupaverat. Tomombæus à Gazanis de iis quæ gesta erant certior redditus, ac facilè videri Sinanem opprimere, antequam reliquus illi exercitus jungeretur, Gazellum cum equitatu expedivit, qui inexpectato adventu hostes funderet. Is igitur per solitudines celeri festinatione Gazam venit, ubi Sinanem obvium præter opinionem habuit non procul ab urbe Remle, qui nocturno itinere eò venerat hostem excepturus, quem, ut erat consilio bono, non dubitabat venturum. Tanta igitur properatione ad hostem accessit, ut prima luce ejus copias adsecutus sit lōgo labore itinerum emensorum defatigatas: cū quibus non modò conflixit, verum etiam victoria potitus, magnum Mamelucorum numerum interemit, reliquis fuga elapsis cum Gazello, qui remensis iisdem solitudinibus per quas venerant Memphim regressi sunt. Dumque hic conflictus haberetur, Gazenses urbe sua prorumpentes. Sinanis bassæ castra incenderunt & deprædati sunt: qui etsi nihil tale vereretur, paucis tamen antè diebus extra urbem castra fuerat metatus. Hæc proditio Selymum movit non mediocriter, qui propterea reliquam exercitus partem ad Sinanem properare jussit; trajectisque desertorum arenis in Aegyptum pervenit; quamvis illos in via plurimùm incommodarent Arabes, noctu diuque assiduis velitationibus Turcas æstu sitique languidos vexantes.

Tomom-

Tomombeius, ut periculo instanti succurreret, Methaream oppidum sex à Memphi milliaribus distans, & opobalsami fertilitate nobile, machinis bellicis, fossis, & vallis muniverat: ubi cum duodecim Mamelucorum millibus, & valida manu equitatus Arabica Turcas expectabat. Interim quator equites Albani ad Sinanem (qui & ipse Albanus erat natione) noctu profugerunt à Tomombæo, cui militabat: monueruntque ut Mathareæ partem evitaret, ubi sub aggeribus secundum viam regiam, per quam Turcæ venturi erant, occultabantur machinæ bellicæ, quibus hostes invasuri erant Aegyptii, Horum consilio monitus Sinanbassa, deflexit ab ea viâ suum exercitum, ut globorum ejaculationibus non cæderetur. Sed Tomombæus reformata copiarum forma, à tergo instantem tanta virtute excepit hostem, ut nihil intentatum relinqueret, quod ad victoriam obtinendam facere videretur. In hac pugna occubuit Sinanbassa Gazelli & Bidonis oppressus violentia. Tandem adveniente nocte, & prælium dirimente, Mameluci fuga elapsi versus montes vicinos, & in ipsam urbem se receperunt. Selymus refecto ad Mathaream & Rhodaniam suo exercitu, post triduum ad urbem venit; hæsitque prope Bulachum. Tomombæus octo servorum Aethiopum millia armis instruxerat; & ex Mauris, Arabibus & Iudæis auxiliaribus novas vires reparaverat: cum quibus statuerat Turcarum castra invadere, & impedimenta diripere vel incendere: Sed à conatu impeditus est, re Solymo per transfugas prodita. Memphi igitur obsessus per triduũ integrũ incerto rerum eventu, & communi militũ strage pugnatũ est obstinacissimè; donec immissus undique flammis, ædificia passim cremarentur & decide-

deciderent in obſidentes,domus diripiebantur,& ubique miſerabilis hominum ſtrages edebatur. Sultanus ſalute deſperata urbem deſeruit, & trans Nilum fugiens in Sejecticam regionem evaſit: Propeque Cyrenem reparatis copiis ſe parabat ad meliorem rei gerendæ opportunitatem, & Gazellum expectabat, quem in Thebaidem amandarat ad congregandos Arabas auxiliares. Dumque illic hæreret, Albuchomar Sejecticæ regionis Princeps ad Selymum venit,illique Sultani conſilium aperuit,illi ſimul ſuum pollicitus auxilium: ſicubi res & tempus requiret. Selymus ne toties incertam aleam, & fortunæ favorem dubium ſuo tandem damno experiri cogeretur, legatos ad Tomombæum miſit, qui illi pacis conditiones tolerabiles offerrent. Audiverat enim ab Albuchomare revocari ex Sueſſa maris Erythræi portu Rayſalomonem & Amiraſſem, quos antea cum exercitu Campſon ad ſinum Arabicum miſerat, ut arcerent ab Emporiis judices Luſitanos, aromata mercesque orientis in Hiſpaniam avertentes. Legati erant Sacerdotes Turcæ,&primores Aegyptiorum, quos immaniter trucidarunt Mameluci,antequam ad Sultanum admitterentur. Tomombæus cum exercitu recenter reparato ad Nilum reverſus, quò audiverat Selymum veniſſe, & plurimum in trajectu fluminis impeditum: in quem irruit ex improviſo, magnamque Turcarum ſtragem edidit. Sed Chanoglis Tauricæ Cherroneſi Chanis filius, & frater uxoris Selymi, cum ſuis Tataris natatu trans fluvium evadens, Mauros è ripa ulteriore deturbavit: Muſtaphas interim, Gazellus, & Cayerbeies, ad alteram ripam provecti cum Tataris violenter in Tomombæum irruerant, fugientemque proſecuti ſunt: & latitantem in palude regionis

gionis Secussæ comprehenderunt, Memphimque captivum perduxerunt: Qui veste pannosa amictus, cameloque invectus per ludibrium spectanti populo perductus est usque ad urbis portam quæ Basuela dicitur, ubi ignominiosè strangulatus est 13. Aprilis anno Christi 1517. Morte quoque cum eo plexi sunt Aegyptiorum & Mamelucorum plurimi, qui cum eo capti fuerant. 1517.



VT GENVS A PATRIO DICAR TRAXISSE PROPHETA
SECTATOR RECTI IVSTITIÆQVE VOCOR.




TEQVE TVVMQ. COLIT MEMPHITICA TVRBA TRIBVNAL
DVM LIBRAS IVSTA PVBLICA IVRA MANV.



# ORCHAMVS.



ORCHAMAS vel Orchamus, qui dictus est Gobæus, Cairi judex, inter Mamelucos summo in honore habitus propter Iustitiæ cultum & rei militaris peritiam: Natione fuit Aegyptius, & à Mahomete Propheta, genus traxisse majores illius crediti sunt. Cum autem defectione Cayerbeij Præfecti Alepi victo Campsone, & in fuga mortuo, cum reliquis Mamelucorum Iamburdus Gazellus Melicules Vmera, hoc est, Beglerbegus Damasci, Memphim fuga evadens, reparatoque exercitu, superatis desertorum solitudinibus in Sinanem bassam occupantem Gazam è Tomombeio missus esset, qui Turcarum vires debilitaret, antequam Selymus Turcarum Imperator integrum exercitum suorum cum Sinanis copiis coniunxisset, cum Gazello profectionem suscepit Orchamas, qui ad desertorum fines Gazam versus cúm properarent occupare pagum, ubi fons erat aquæ limpidæ & dulcis, & ex quo hauriebant potum utribus, qui per deserta iter erant facturi. Cum jam prius à Sinane præventi essent,

moque perturbati quamvis essent, urgente tamen necessitate coacti sunt cum hoste congredi, numero quidem superiore sed virtute pari. Conflictu dubio aliquandiu pugnatum inter eos. Tandem Sinanbassa potitus victoria est, Præfecto Alexandriæ interfecto & Orchama Gobeo Cairi Iudice, multisque Arabibus, & plusquam mille equitibus Mamelucis: Ex Turcis eo conflictu occubuerunt fere duo millia equitum. Fuitque hæc victoria victis & victoribus sanguinolenta. Postera die cæsorum capita affixa sunt palmis, tanquam trophæa victoriæ: nam qui evaserunt cum Gazello, per easdem solitudines, per quas venerant, rursus Memphim redi-verunt.





NŌ TIBI OPES LAVDI: MAIVS NVPSISSE GOBÆO EST
NOMEN HABES IVSTI NOBILE LAVDE VIRI.
SALOMACHE GOBAEI VXOR.
NŌ TANTV̄ OENOTRIAS CITHEREA AMAT ALMA PVELLAS
FVSCA SVAS FORMAS ET MAREOTIS HABET.




# SALOMACHE GOBAEI VXOR.



SALOMACHE hæc mulier fuit Memphitica soror Seriphis & uxor Gobæi Orchamæ judicis Cairi.



MAME-



# MAMELVCI.



Vm de Mamelucorum Sultanis, & eorum regno ſuperiùs dixerim: Iuvat hic pauca ſubjicere, qui fuerint Mameluci, & quæ credita ſit origo eorum: de quibus hæc leguntur in hiſtoriis.

Aegyptum Græcanicæ dominationis pertæſi, excuſſerunt Conſtantinopolitanorum Imperatorum jugum, & Calipham Saracenorum Ducem ſibi regem elegerunt, qui à Propheta Mahomete ducebat originem: ab hoc leges, & inſtituta religionis, ſicuti & imperij, receperunt, reliquique Ægyptiorum reges ab hoc primo Caliphæ nominati ſunt. Cuius nominis ultimus regnabat in Ægypto, quo tempore Gothofridus & Bo-

& Boëmundus Hierosolymitanum regnum occuparant. Nam hic Caliphas ab Almerico, qui Balduino successerat, vexatus, imploravit auxilium Sultani Syriæ: à quo adiutus quidem est, sed Calipham regno spoliatum retinuit vinctum. Ex eo tempore Caliphæ sequentes, quasi pontifices summi, jura regionis tractaverunt, & electionem regum suo consensu adprobaverunt: abstinuerunt autem à regni administratione, quæ penes Sultanos remansit. Primus Sarraco tenuit sceptrum; cui successit Saladinus filius, qui regno Palæstinæ Christianos expulit. Saladino filij & nepotes plurimi longo ordine successerunt in regno Ægypti. Quorum postremus ex Sarraconis gente Melechsala amisso suorum veteranorum exercitu, parumque fidens Ægyptiis, suam potentiam peregrinis firmavit viribus: Eo tempore Tatari Scytæ Armeniam & Asiam per portas Caspias ingressi, magnum Comanorum numerum, quos captivos abducebant, Melechsalæ vendiderunt. Illos in Ægyptum transtulit, & militum ordinem redegit. Ho-

rum virtute postea felicissimè usus est in tutando regno, Gallorumque regem Ludovicum ad Heliopolim, (quæ vocatur hodiè Damiatam) cepit. Is tamen paulo post servorum factione, maximè Turcomanni cujusdam Comani, jugulatus est, & regno cum vita exutus. Turcomannum Cothos Comanus occidit, & ejus regnum invasit, & Tataros, quos Hyalo in Syria reliquerat, delevit. Postremò à Bandocadore cæsus est, qui Richardum regem Angliæ, cum Christianorum reliquiis tota Syria exegit. Bandocadore veneno sublato successit Elpis. Elpi Melochutreps, qui Ptolomaide & Tripoli expulit Christianos. Hos secuti sunt aliquot Sultani, quorum nomina in historiis expressa non sunt. Inter hos Caytbeies fama illustrior numeratur: qui victis in Cicilia Turcis, repulsisque Persis, qui Syriam ex Mesopotamia invadebant, domitisque Arabibus, finitimis omnibus populis erat formidini. Post Caytbeiesis obitum, Mahometem ejus filium Campsomia & Acbardinus longis factionibus inter se certantes ad patris regnum

gnum accipiendum compulerunt: Quod quia fecisset contra leges & Mamelucorum instituta, à quodam Circasso inter convivas cæsus est:& hunc interfectorem reliqui Mameluci Sultanum salutaverunt , electum communi omnium consensu. Illum tandem Giapalates Damasci & Syriæ præfectus ducto Memphim exercitu cepit, & regia dignitate privavit: Giapalatem avarè & crudeliter imperantem Tomombeies intercepit, & captivum Alexandriam ut illic custodiretur deduci jussit, pauloque post strangulari præcepit: mortuique loco Sultanus proclamari voluit: Cumque Ægyptios Syrosque crudelius quam cæteri vexaret, essetque omnibus odiosus & intolerabilis, octavo post electionem mense à Giapalatis amicis vita exutus est. Post mortem intestinis factionibus inter se per quadriennium dissentientes, Mameluci, remSultaninam fere everterunt, nemine hanc dignitatem assumere auso, quam omnes viderent discriminis& periculi plenam: quamque non erat invadere tutum propter factiones & sejunctos dissidiis

assiduis animos Mamelucorum. Cum tamen animadverterunt eorum potentiam paulatim dissolvi hac discordia, Campsonem Gaurum hominem Iustitiæ & arti militari addictum elegerunt sibi regem: oblatum diadema pertinaciter recusavit aliquandiu, adactus tandem vi onus impositum coactus est ferre, licet suam tenuitatem excusaret, & fortunarum defectum, quæ sufficere non possent ad congiarium quod militibus solvendum erat. Metuebat enim Mamelucorum inconstantiam & factiones: Sunt enim populi Getæ, Zinchij, & Bastarnæ ad Euxinum Pontum circa Mæotim paludem habitantes, qui vno nomine Circassi dicuntur à Cercicis populis, qui ad Colchos vergunt. Hos Valachi sive Mysi ad Danubium siti, & Tatari Præcopienses Tauricam Chersonnesum incolentes, Padolijque vicini, Sarmatæ, & Roxolani, quoties per occasionem possunt, captos Alexandriam quotannis venales abducunt ad Sultanos Cairi: qui mancipia hæc tenera adhuc ætate curat summa diligentia nutriri & institui militaribus

bus omnibus exercitationibus: cumque adoleverunt, prout inveniuntur idonei & rerum majorum capaces, evehuntur ad diversos honorum gradus, in militia potissimùm. Horumque virtute & viribus omnem spem conservandi regem reponit Sultanꝰ. Quemadmodum Principes Othmannici idem factitant de Christianorum filijs masculis, quos certis & constitutis temporibus legũt, & abducunt ex Græcis & Asiaticis Christianis urbibus, educatosq; summa cura præficiunt Provinciis, & exercitibus, vocanturque Genizari: Nam reliquis Ægyptijs aut Syris non licet consilio Principis interesse, functiones bellicas subire, aut ad majores magistratus admitti. Agriculturam tantùm, & mercaturam exercent, subjecti Mamelucorum insolentiæ: penes quos est regni administratio.

REIICE SVLTANI TITVLOS NILOTICA MEMPHIS
QVOS CONFERT: ERIT HIC PERNICIOSVS HONOS




REGNA TOMOMBEO CAMPSŌ CVM RRGE RELIQVIT:
VIRTVTIS SELYMVS DICIT ID ESSE TVÆ.



# IVNVS BASSA.




VNVS BASSA, qui & Muhemet dictus est, natione fuit Albanus, vir rei militaris peritissimus: in bello contra Teckelem Cuselbam Persici exercitus ducem, dum Cappadociam, Lycaoniam, Pontum, & Bithyniam ferro ac flammis depopularetur, à Selymo Turcarum Imperatore summo in honore habitus est: Is enim cum Achomate & Corchute Baiazeti filiis, & cum Alybassa Teckelem insecutus est, & ad Olygam montem prope Ancyram cum Persis viriliter pugnavit; cumque Alybassa eo prælio occubuisset. Iunusbassa vel Ionusesbassa in illius locum suffectus est: Qui acceptis ab Achomate copiis, per Cappadociam ad Antitaurum, deinde Tasciam cum quadraginta millib⁹ selectorum equitum, & infinitis machinis bellicis pervenit. Huic imparem se Teckeles sentiens, per Antitauri latebras, & sylvarum recessus occultos aliquandiu latuit: ex quibus tandem excussus nocturnaque fuga evadens, maiore suorum parte, ac prę da locuplete (quam spoliatis Asiæ vrbibus, antea fecerat) exutus, cum sibi ab Ismaele Scacho nulla videret auxilia mitti,

mitti, in Armeniam rediit. Iunusbassa cum hostem non posset comprehendere, neque cum eo manus conserere, tanquam victum & fugientem relinquens, reversusque àb hac expeditione, suppliciis omnibus, ac tormentis sæviit in Asiæ minoris incolas, qui Aidaris & Teckelis religionem fuerant secuti. Postquam autem Selymus Ismaelem superasset, redegissetq; Tebrisium Persarum regiam in suam potestatem; Ciammam vrbem in vlteriore Euphratis ripa sitam expugnasset, Regem Aladoliensium captivum occidisset, & illius regnum redegisset in provinciam, cui Saxovaroglem præfecit Aladoliēsis fratre natum, Ismaeleque contra Bactrianos & Hircanos occupato redire cogeretur in Thraciam, vt Hungarorum in Mœsiam & Thraciæ limites incursiones facientium cohiberet audaciam: Iunusbassam (qui tunc Bosnæ illyrici præfectus erat) in eos misit. Is traiecto Savo ad vrbem Catin in Croatia, per Slavoniam penetravit, reliqui Turcæ superato Danubio limites Hungariæ depopulabantur. factumque est brevi temporis spatio, vt hujus virtute, Pannones intra suos fines coërcerentur. Postea cum ad Alepum, deficiente Cayerbeio eiusdem Alepi & Commagenæ præfecto, Campson Gaurus Syriæ & AEgypti Sultanus à Selymo fusus esset; & in fuga iam senex dolore ac laboribus oppressus periisset: Selymus Iunusbassam misit Damascū cum expeditissimo equitatu, vt vrbem occuparet, & Iamburdum Gazellum cum Mamelucis è fuga retraheret. Sed is Campsonis morte comperta, cum Sebeise Balvano Damasi Tetrarcha, & alio Tetrarcha Tripolis per solitudines desertorum fugam versus Cairum instituit. Damasceni statim Iunusbassam in vrbem admiserunt: & ad eorum exemplum Tripolis, Berythum, Sidon, & Ptolemais dedi-

derunt ſe Turcis. Selymus hac tam inſigni victoria potitus, qua potuit feſtinatione Sinanembaſſa præmiſit, qui occuparet Gazam: Is vrbe capta, repulſoque Gazello, & interfecto Orchama Gobæo Cairi judice, junctis copiis per ſolitudines arenoſas Nathaream deinde Cairum venit: pugnaque cruenta iterum ad Mathaream, commiſſa fuſi fugatique Mameluci cum Tomombæo (quem paulo ante Sultanum elegerant) Cairum ſe receperunt: quos celeriter inſecutus eſt Selymi exercitus: cruentoque prælio in platæis vrbis orto, oppidani devolvebant lapides & imbrices in Turcas, cum omni miſſilium genere, quæ ex domorum tectis & feneſtris certatius eiaculabantur: Vbi Iunusbaſſa, ſpectante ſuo Imperatore, cum audacius & animoſius AEgyptiam domum vrgeret, in quam ſe receperant præcipui nobiles, & primores vrbis jactu ingentis lapidis humi proſtratus eſt, & è conflictu ſemianimis exportatus, magno principis dolore. Cumq; immiſſis flammis omnia corriperet ac cõſumeret incendium. Tomombæus deſperata ſalute, trans Nilum ad Albuchomarem Seiecticæ regionis principem fugit: vnde iterum reparatis viribus rediens, à Turcis captus eſt, & ignominioſè ſtrangulatus. Selymus redactis in poteſtatem hoſtib. eorumq; provinciis, Cayerbeio præfecturam AEgypti commiſit. Hoc indigniſſimè tulit Iunusbaſſa, qui Sinane baſſa mortuo, reliquos potentia & parte militari longè ſuperabat, occupataq; Diadari principis AEgyptij domo, ſpolia omnia, vaſa aurea & argentea, ingentemq; pecuniæ ſummã militib. liberaliſſimè diſtribuerat, vt eorũ benevolentiam & animos ſibi conciliaret, quod Selymum valdè reddidit anxium, cui Iunusbaſſæ potentia & autoritas incipiebat eſſe ſuſpecta. Cum igitur ſpe huius præfecturæ ex-

cidiſſet, dolore preſſus morbum finxit, neque Selymum per aliquot dies inviſit. Alienaverāt illum à Principe multa; autoritas nimia apud milites, animus elatior, potio venenata Cayerbeio præbita, quot recenter aliquot AEgyptiorum potentiorum familias, quæ Conſtantinopolim transferebantur, retinuiſſet Cairi: & quod Selymi iram ſubitò inflammavit; Principis juſſu militibus præſidiariis aucta erant ſtipendia, idque mandatum (cui res commiſſa erat) non retulit ad ærarii quæſtores; vt milites odio Cayerbeij Præfecti res novas molirentur in abſentia Selymi, qui iam ex AEgypto venerat in Syriam, vt in Perſidem proficiſceretur contra Iſmaëlem Scachum. Hæc cum ad Selymum relata eſſent, quodq; ab aliquot militibus Sultani titulum non recuſaſſet, multa culpæ prætexentem in ſua præſentia trucidari iuſſit.



EST ANIMI, ET CASTÆ TIBI TANTA FIDVCA FORMÆ
SIT TVTELA TVÆ VT FIRMA PVDICITIÆ.




QVÆ NVLLI CEDAT DANAEIA PERSIS ALVMNAM
ADDIXIT THALAMIS, MAGNE AGATHYRSE, TVIS



# MANTO.



ANTO Muhesumeti vel Ionusis Bassæ vxor, Græca fuit natione forma elegāti Sed quæ à Zebalia priore viro in militiam abducta, cæsoq; marito in potestate Turcarū remansit. Pauloq; quos propter formæ venustatem ac singulare in omnibus rebus iudicium Ionusi Bassæ placuit, interq; illius vxores charissima aliquandiu habita est. Donec apud maritū in suspitionem venit fidei non servatæ. Pertæsa enim Ionusis superbiæ & morositatis, clanculum ad suos reditum procurabat: Cumq; ad amicos vt abduceretur literas mitteret, quæ ab Eunucho tabellario apertæ & marito redditæ sunt. Is rei indignitate motus, mulierum pugione trās fossam necavit.

SI TV EXPVGNATA SERVASSES FOEDERA BVDA
NOSTE ETIAM ACCITO IVDICE MAGNꝰ ERAS.




AVSTRIACAM ADVERSO TĒTASTI MARTE VIĒNAM
SED QVI TE EXIGERET CAROLꝰ INDE FVIT.



# SOLYMANNVS



NNO Chriſti 152 0. debilitatis Perſarum virib. AEgyptoque&Syria in poteſtatem redacta, Selymus anthrace peſtilentiali extinctus eſt: Priùs tamen Deſterdarios ærarij Quæſtores Pirimbaſſam &Achomatem baſſam præmiſerat Hadrianopolim, vt illic ad ſolenne feſtum,quod inſtabat, præpararent neceſſaria,Solus Ferhatesbaſſa apud ęgrotum Principem remanſit: quem vbi mortuum vidit,primarium janitoremManiſſam expedivit ad Solymannum, qui illi patris obitum nunciaret, & in vrbem accerſeret, antequam res innoteſceret Genizaris & Prætorianis militibus,quibus mos eſt vrbem diripere in Principis obitu. Solymannus re cognita diurnis nocturnisque itineribus feſtinans, Iſchodaram pervenit è regione Conſtantinopolis, vbi triremem ingreſſus cum Genizarorum præfecto vel tribuno in Palatiū Imperatorium perductus, & Sultanus ab omnibus ſalutatus:peractisq; ſolenniter patris exſequiis:ſtatim deHungaria conquirenda cum ſuis Baſſis & conſiliariis deliberavit.

Anno

Anno 1521. congregato exercitu venit ad Belgradum:& in via Burgurdelem arcem, quæ Sabacz Hungaris dicitur, in ripa Savi fluminis sitã, invadit, ad cuius mœnia Savus Danubio jungitur: quam statim Hungaris eripuit Achomates Bassa. Pirimbassam interim Solymannus pręmisit cum copiis, qui loci situm & munitionem cognoscerent: quem cum reliquo exęrcitu subsecutus est: admotisque machinis mœnia solo æquavit, vrbemque expugnavit 24. Iunij anno 1521. propugnaculum fuit singulare Hungarorum, situm ad confluentiam Dravi & Saui, Quod Albam Græcam vocant: idque contigit socordia Pannonum, & regis Ludovici Vladislai filii adolescentis, qui parum autoritatis obtinębat apud suos principes, tam Ecclesiasticos quam sæculares, luxu, ambitione, & fastu intolerabili tumidos: hocque bellum in illos movit Turca, quod Legatos eius qui tributum poscebant, indignissime per contemptum tractatos è suis finibus extrusissent.

1522. Anno sequenti expeditione suscepta in Anatoliam copias transmisit, præmisso Mustapha bassa, qui Rhodum invaderet navalibus copiis: ipse terrestres adduxit ad oppidum Mermere, quod à Rhodo distat milliaribus Græcis 18. Vnde in insulam traiecit, Rhodiensibus, ludo & spectaculis occupatis contemptis obsidentibus à quibus nihil sibi metuendum stultè putabant. Sed cum seriò rem agi, vrbique imminentem montem explanatum & ex eo fossas repletas, actisque sub terra caniculis nutarent & laberentur mœnia, Rhodiani de salute desperantes, ad Sultanum cum muneri Cus venerunt, transsactaque compositione petiverunt, vt sibi salva vita & facultatibus liceret ex insula discedere: quod postquam clementer obtinuissent, cum vxoribus & liberis naves ingressi discesserunt.

Vrbe

Vrbe & insula potitus est Solymānus die 25. Decembris, anno Christi 1522. Philippo Villerio Liladano Megalomastore, qui Fabritio de Careto successerat. Eodem quoque tempore Coon insulam Rhodiensibus subjectam occupavit, & arcem Bedrum; quam Branchidas Cariæ, vel Halicarnassum, vel Iassum nonnulli esse putant.

Dum obsideretur Rhodus, Solymannus Ferhadem bassam misit contra Alimbegū, Scachi Suariensis filium, qui ex familia Caramānica adhuc erat superstes: Hunc ut ad se alliceret astu Ferhates, morbum simulavit, velleq; se testamentum condere, & Alimbego exercitum Turcicum committere, quapropter ad se venire rogat, ut amicum ante mortem adhuc videret. Alimbegus nihil sibi metuens, Turcicum bassam cum duobus filiis adiit, quos statim comprehensos necari præcepit, & ejus ditionem subjugavit.

Rhodocapta, Solymannus Constantinopolim reversus Ianizarorum tumultus compescuit, qui Aigasis, sive Aiacis bassæ & Abduselamis supremi thesaurarii ædes diripuerant: Rebus in urbe compositis, exercitum sexaginta millium hominum duxit in Hungariam: Dravoque Savo, & Darubio pōtes addidit: Sirmium quod Varadinum Petri vocatur, cum aliis pluribus oppidis, & arcibus munitis vi expugnavit, unde Budam perrexit. Gallis enim & Hispanis inter se diffidentibus pro regnorum amplificatione, Solymannus opportunam occupandæ Hungariæ nactus est occasionem. Quòdque sciret Ludovicum regem propter ætatis imbecillitatem parùm autoritatis inter suos Pannonas obtinere. Turcarum subitò adventu perculsi Hungari, rebus urgentibus conventum Principum in urbe Rhacos convocaverunt. Episco-

pi & Principes pecuniam nimis parcè conferentes, militemque festinum cogentes, maximè Paulus Tomores Colossensium Episcopus homo audax & temerarius, hortatus est regem, ut celeri conflictu Turcas invaderet: cui victoriam pollicebatur: Repugnantibus reliquis Ludovicus ad Mogacum oppidum inter Budam & Belgradũ infeliciter pugnãs, amisso exercitu, cúm Tomorem cæsum videret, in fugam versus, equi lapsu præceps in paludẽ devolutus est, & suffocatus; locum notante Catrisco Bohemo adolescente: cuius indicio post discessum hostium, regis corpus extractum est, & Albam regalem devectum, sepultumque: Solymannus Budam paulo post sine san-
1562. guine occupavit anno Christi 1526. omnibus ex ea vrbe cujusvis sexus & conditionis in servitutem abductis. Reversusque cum ingenti præda est Hadrianopolim. Cum spoliis urbis avectæ sunt tres statuæ antiquæ æneæ, Apollinis, Dianæ & Herculis; quas Matthias Corvinus in arce Budensi collocaverat. Hæ postea Constantinopolim deportatæ sunt, & in Hippodromo positæ, simul avexerat aliquot columnas æneas, & machinas bellicas mirando artificio fusas, quæ olim ex Bosna Illyrici captæ fuerant: eodem tempore Ioannes Sepusius Transylvaniæ Vaivoda, tardius quàm par erat cum auxiliaribus copiis in Hungariam venerat: Qui audito Ludovici regis exitu, regnum affectavit, favore fultus Principum ac nobilium Hungariæ, qui diadema regium ad Germanos nolebant transferri: Nam Ferdinandus Austriacus Caroli V. Imperatoris, & Mariæ Ludovici uxoris frater, Boëmiam jam occupaverat, & Hungariam recipere nitebatur. Congregatis igitur in urbe Rhacos Optimatibus, postquam regium funus elatum esset, consensu omnium Sepusius rex saluta

ſalutatus eſt: & à Petro Perenne corona Hungariæ eſt inſignitus, conſecratusque à Paulo Epiſcopo Strigonienſi: Ejusque loco Americus Cibachus Tranſilvaniæ Vaivoda ſuffectus eſt. Interim Ferdinandus à Boëmis rex electus, conjunctis Boëmorum, Auſtriacorum, Carinthiorum & Stirorium copiis Budam contendit, exactoq; Sepuſio, occupavit: fugientemque inſecutus ad Tocaiam arcem prope Tiſſam fluvium habita pugna illum ſuperavit, receptaque Tranſylvania, rex ab omnibus declaratus eſt, cum uxore Anna Ludovici defuncti ſorore. Conſtitutoque Stephano Bathore Pannonum prorege, in Boëmiam reverſus eſt. Ioannes autem Sepuſius ad Hieronymum Laſchum Polonum transfugit, hominem primæ nobilitatis & potentiæ: qui hoſpitem benignè excepit, non contradicente Sigiſmundo Poloniæ rege. Huius Laſchi ſuaſu Sepuſius à Solymanno petivit auxilium, quo in regnum reſtitueretur: Miſſusque eſt Laſchus Conſtantinopolim qui hoc negotium tranſigeret cum muneribus. Is ſua autoritate, & munificentia ſtatim ſibi baſſas conciliavit, maximè Lutzibeium Vezirem & Abraimum baſſam qui principi facilè perſuaſerunt ut regi ſuplici ferret opem. Ferdinandus interim & ſuos Legatos ad Solymannum miſit illius amicitiam ambiens & pacem petens: Quibus non tantum denegata eſt, ſed ſeverè minitatum niſi regno Hungariæ Ferdinandus citò cederet, ſe habiturum Othmannos inimicos & infeſtos.

Dum hæc in Europa gererentur, mota eſt ſeditio in Anatolia autore Kalendere Zelebi: qui ex familia Chaſis Bectaſis Prophetæ apud Turcas ſummi nominis & reverentiæ ortus, congregato Derviſiorum magno numero, Sangiacos aliquot fudit, & Aſiam turbavit. In hunc

missus est Abraimbassa cum exercitu:qui Kalendere occiso statim motu inter seditiosos ortum compescuit.

At Solymannus ut Sepusio ferret opem principio veris anni 1529. ex Asia Becrambeium cum equitatu,& Abraimum ex Europa convenire jussit. Hi Subbassas, Vaivodas,& Flammuranos militiæ præfectus congregarunt, junctisque simul copiis in Hungariam penetrantes, omnia ferro & flammis immaniter vastabant. Acanziorum quinquaginta millibus præfectus erat Achomates: Michaloglis cum peditatu equites præcedebat. Solymannus Hadrianopoli solvens venit Belgradum : ad quem statim properavit Sepusius, & supplex cum mulieribus ad eius pedis provolutus, illius opem imploravit, ab eo clementissimè exceptus est Transilvanus Abraimi bassæ, & Ludovici Gritti favore : statimque Budam contendens diffugientibus magna trepidatione civibus, urbem cepit, arcemque, cui Nadastius præerat. Buda recepta duxit copias in Austriam ut Viennam occuparet:quò pervenit circiter 13. Septembris eius anni; capto in via Altemburgo, & depopulata Sibenbugensium ditione.

Viennæ præerat Philippus Palatinus , Nicolaus Salmēsis comes,Rokēdor f. & alij,qui viriliter sustinuerūt barbarorum impetum . Vicies enim diversis locis conquassatos urbis muros subierunt Turcæ, & toties magna virtute propugnatorum repulsi sunt. Cumque hæc obsidio non videretur succedere, capiendæ urbis desperatione actus Solymannus, vigesimò obsidionis die Budam rediit, Abraimobassa exercitum reducente. Abducti sunt in servitutem plusquam sexaginta hominum millia: Turca verò Budam reversus Sepusium regem statuit,

tuit, illique Ludovicum Grittum Venetum adjunxit rerum ſocium, cuius conſilio in omnibus uteretur, ipſe Conſtantinopolim verſus iter ſuſcepit.

Anno 1532. Ratiſponenſis dicta convocata eſt menſe Maio, ut de religionis turbatæ ſtatu inter ſe conſultarent Chriſtiani Principes. Interim Solymannus, cum exercitu ex Thracia jam pervenerat ad fines Triballorum, ut Sepuſio ferret opem contra Ferdinandum Cuius adventus ita terruit Chriſtianos, ut negotio religionis in aliud tempus dilato, ad arma concurrerent, Turcis jam obſidentibus arcem Strigeniæ cum Ludovico Gritto: reliquus exercitus ad Samandriam conſederat. Strigonienſes aquę penuria laborantes, à Poſonnenſibus vicinis petiverunt auxilium. Ii Viennam miſerunt, quia Catianero vrbis præfecto impetraverunt, ut navigiis ſecundo Danubio copiæ mitterentur, auxiliares: Hæ Strigonium pervenerunt, quod à Buda diſtat milliaribus tredecim, ſed infeliciter pugnantes, ſuper flumine ſuperati ſunt à Gritto, cæſique, aut in fugam verſi, ſubmerſis omnibus, aut captis navigiis. Carolus V. Imperator, Boiodurum, quod Patavia vocatur, ad Danubium jam appulerat: Solymannus erat Belgradi unde ad provinciam Valeriam (quæ eſt Stiria) copiis infeſtis contendebat. In via Guintzium oppidum, quod non procul abeſt ab urbe Sabaria, à Nicolizza præſidio munitum per Abraimum baſſam tentavit. Aigas ſive Aiax baſſa, & Caſſines Beglerbegi ducebant equitatum. Aſiatici equites Aiaci Caſſino Europæi parebant. Hos duos ſequebatur Muſtaphas Michaloglis Acanziorum voluntarioum equitum præfectus: Acanzios levis armatura equites vocant. Is cum equitatu centum millium homi-

num præcedebat reliquum exercitum itinere duorum dierum. Sed cùm ad Guintzium nihil proficeret Abraimus bassa, relicto Nicolitzo, in Carinthiam vertit iter: unde paulo post Belgradum reversus est ad suum Imperatorem, quod tutum non existimaret cum Carolo V. manus conferre; cuius præsentiam ac potentiam plurimùm metuebat, licet militum numero longè esset inferior. Interim Solymanni mandato Mustaphas bassa Cazonem Michaloglem Vaivodam cum duodecim millibus equitum & aliquor Acanziis misit in hostiles ditiones, qui ferro flammaque ubique grassaretur & depopularetur ripas Danubii Lintzam usque. Vnde metu aufugit Ferdinandus, disposito ad Pontem Anasij fluvii præsidio. Cazon post ingentem nostris illatam cladem, victor ad suos iter reflectens per Alpium itinera scopulosa & difficilia, non procul à Grætio urbe Stiriæ incidit in Ludovicum Coveium, à quo fusus est: is tamen cum suis, ne reliquorum vires experiretur, relictis impedimentis, & quatuor captivorum millibus occisis, partem suarum militum Ferisi bassæ commisit, qui salvus ad Solimannum rediit. Cazon cum reliqua parte suorum per vallem Storambergi viam instituit, illique ad Leopoldum oppidum factus est obvius Fridericus Palatinus, qui cum duodecim millibus peditum, & duobus millibus equitum gravis armaturæ, ac viginti tormentis bellicis hostem excepit: pugnaq; commissa Cazon fortiter & animosè dimicans, tandem oppressus cecidit, cum tertia sui exercitus parte, qui tam in prælio cæsi sunt, quam in paludes lapsi periêrunt. Cæteri qui summa cum difficultate elapsi sunt, amisso duce paululum progressi, à Lodrone rursum, Ioachimo Brandeburgico excepti,

misere

miserè confecti sunt. Reliquiæ superfuerunt, celeri fuga pervenerunt Neokirchium, quos iterum invaserunt Turrianus & Catianerus, plurimosque interemerunt, Paucique ex iis sese viriliter è manu hostium expedientes, potuissent evadere, nisi à Baltasaro Pamphilo Hungarorum duce, intercepti essent & omnes fere ad internecionem deleti; exceptis paucissimis, qui Belgradum fugæ celeri pervenerunt: Hæc dum fierent, Carolus Cæsar habito cum suis consilio Lintzio Viennam descendit, ubi delectus militum factus est, numeratique sunt præter urbium præsidia, nonaginta peditum millia, & triginta equitum, exceptis lixis, calonibus, & servis, ita ut totus illius exercitus superaret numerum ducentorum & sexaginta millium hominum. Tantum apparatum cùm probè cognovisset Solymannus, trajecto Mura fluvio, qui Savaria dicebatur olim, & Dravo superato, nulla re memorabili gesta, Stiriam relinquens Belgradum se recepit, abductis in servitutem plusquàm triginta millibus hominum: præter infinitam captivorum multitudinem, quos Mustaphas Michaloglis diversis in locis immaniter iugulaverat.

Turcarum audito discessu Cæsar in Italiam reversus est: Dumque in hac expeditione Solymannus esset occupatus, Andræas Auria cum quinque majoribus onerariis navibus & quadraginta octo triremibus Messinam in Sicilia appulit: unde rebus necessariis acceptis, in Græciam trajecit. Intellexerat enim Himeralem navalium copiarum Solymanni præfectum in sinu Ambracio (qui golfo di Larta dicitur) cum septuaginta triremibus satis malè instructis residere. Eo tempore clas-

re classis Veneta duce Vincentio Capello hærebat in Lacyntho, quæ numerum 60. triremium superabat. Ipse Capellus induciis cum vtrisque pactis, spectatorem rerum gerendarum loco tuto se præbebat. Himeralis Auriæ metus, superato promōtorio Acriti, qui nunc Capo di Gallo vocatur, ad Mulcam se recepit: inde demisso sinu Argolico, Sunium 3. Atticæ venit, deinde Chalcidem: vnde paulo post ad portum Sphragiæ reversus est, prope Methonē Antonius Auria fugientem Humeralem cum septem selectis triremibus persecutus fuerat, nulloque hosti illato damno ad suos rediit. Andreæ autem Auriæ visum est expedire relicta Methone, quæ valido Turcarū munita erat præsidio, Coronem obsidere: Quam tormentis ita conquassarunt, vt deiectis mœnibus, impetuque facto inferiorem vrbis partem, quæ dicitur insula, occuparent, Turcis in superiorem vrbem se recipientibus. Quæ tamen statim Auriæ tradita est, pacta conditione, vt vita, rebusq; salvis, aliò se transferrent Turcæ. Auria vrbem Hispanorū præsidio firmans, relicta Pylo, quæ hodie Giunco, vel Navarrino appellatur, Patras venit, quas non multo negotio expugnavit, & prædæ militum reliquit, Turcis compositione transacta in AEtoliam se recipientibus. Andræas Auria, terrestribus copiis alio itinere sequi jussis, cum classe ad sinum Corinthiacum navigavit. Fauces huius sinus claudunt duo propugnacula, quæ Dardanelli dicuntur; Rhium in Achaia, Molicreum in AEtolia situm est. Rhium statim deditionem fecit: sed Molicreum multò munitius, restauratoq; præsidio firmatum, maiori cum difficultate superatum est. Rebus his in Peloponneso dispositis, relicto Hieronymo Mendosa Coronæ, anno eodem rediit Neapolim Auria, deinde Genuam.

Aetate

AEſtate ſequente Solymannus copias miſit ad recipienda ea loca, quæ à Chriſtanis in Morea ſive Pelopōnoſo fuerant occupata, Turcarum adventu perculſus Mendoſa, opem ſubitò petivit ab Auria. Qui lecto milite Neapolim navigavit, Meſſinamque, & appulſus in Zacynthum intellexit, Venetorum relatu, veniſſe Coronem Lutzibeium Callipolis Sangiacum, & Thalaſſiarcham, cum Solymannobaſſa Albano, & Aſſambego Mauro Alexandrino, qui claſſem 80. triremium habebant. Auria invitis, & ſummo conatu repugnantibus Turcis, Coronem annona munivit, & abducto veteri præſidio, novum militem urbi impoſuit, præfecto Macicao. Veterani illi ad Ticanuſam inſulam, quæ Venetica appellatur, venerunt, ut cum hoſtibus ſi copia daretur, que ad Methonem conſederant, congrederentur. Sed cum recuſaſſent pugnam, neque ad conſerendas manus vi poſſent adigi, Auria in Siciliam ſe recepit. Coronenſes interim rerum omnium penuria preſſi, & aſſiduis hoſtium incurſionibus fatigati, rerum deſperatione urgente petiverunt à Præfecto Macica, ut in hoſtem facerent impetum, qui ad Andruſam urbem Meſſenienſium ſuper Paniſo flumine triginta quinque à Corone milliaribus hærebant, ut ſaltem aliquid laude dignum patrarent, vel viriliter occumberent. His licet invitus. ſuaſore tamen Hermoſilla & Diego Tovarre, conceſſit Macicaus, quod popoſcerant. Duce igitur Barbano Græco nocturnis, deviisque itineribus ad Andruſam pervenerunt, ubi Charon Ianizarorū Præfectus habebat præſidiū trium millium peditum. Extra urbem erat Inſell⁹ Achomates, qui cum mille ſelectis equitibus occupabat ſuburbia. Hi ſentientes Hermoſillæ milites adpropinquare, magno tumultu & voci-

 fera-

feratione reliquos ad arma concitaverunt. Nihilo tamen minus impreſſione facta plurimos ex Turcis interfecit Hermoſilla: donec his clamoribus excitatum eſſet vrbanum præſidium, quod ad mœnia confeſtim accurrit; in quæ Macicaus cum Tovarre faciebat impetum: ſed numero longè inferiores repulſi ſunt à Charonte, cæſis Macicao & Tovarre. Fugientes noſtros cum perſequeretur Achomates, globo miſſili transfoſſus occubuit. Hermoſilla cum iis qui ſuperfuerunt ægrè Coronē reverſus eſt. Sed paulo poſt rerum omnium penuria laborantes, gravique preſſi peſte, vrbe relicta, in Siciliam rediere. Grave enim erat imperatori Carolo tantos facere ſumptus, in conſervatione duarum vrbium, quæ rebus Chriſtianorum non multum adferebant emolumenti. Idcirco eas Venetis, poſtea Pontifici Romano, demum Rhodienſibus equitibus, qui in Melita conſederant, obtulerat; omnesq; earum cuſtodiam recuſaverunt.

Anno 1534. Abrahimi, Baſſæ ſuaſu Solymannus relicta Pannonia in Perſidem arma convertit contra Tammam vel Techmaſim Scachi Iſmaelis filium: & hanc expeditionem plurimum adiuvit Vlumasbegus Perſa, qui Techmaſis ſororem duxerat vxorem, & ad Solymannum transfugerat: isque ſe belli huius ducem pollicebatur: nam illi paulo ante Turcicus Imperator Sangiacatum non procul à Carahemida conceſſerat: præceperatque omnibus finitimarum provinciarum Præfectis, vt Vlumæ, quoties in hoſtem Perſam proficiſceretur, opem ferrent, & ſe illi obſequentes redderent. Cum iis igitur Vlamas begus Churdiſtano Principi Sereſesbegi bellum intulit, eoque interempto regionem eius ſuæ ditionis fecit. Qua re cognita Solymannus ſummum ſuum

Vezirem

VeziremAbrahimum baſſam cum exercitu miſit in Anatoliam, vt cum eo in Carahemidam penetraret : Quo cum veniſſet Vlumam begum in Parthiam pergere juſſit, qui illi dux eſſet itineris, ipſe verò cum Romaniæ copiis illum ſequebatur.

Hi nemine reſiſtente Tebriſium pervenerunt, vnde Tammas aberat, bello occupatus contra Kezienbaſſam Coraſanorum Hircanorum Principem: Hos ſecutus eſt Solymãnus cum Ianizaris & Portæ copiis: Sed Scachus Tammas adparatu & potentia Turcis impar, in Sultaniam ſe recepit: Fugientibus inſtabant Turcæ: ſed in montana Albanorum & Hiberorum profugerant Parthi: Solymannus ad Sultaniam venerat, quæ ſita eſt in planicie circundata vndique montibus Niphate, Caſpio, Coathra & Zagro, qui omnes à Caucaſo oriuntur : Dumque illic propter amœnitatem hæreret, illiusq; exercitus ad Hemedanem perveniſſet: vbi pluviis, frigore, tempeſtatibus, & rerum omnium penuria uſque adeo vexati ſunt Turcæ, vt eorum plurimi corriguerunt, & exanimati ſunt: gelu alii pedes ac manus amiſerunt : innumeraque multitudo hominũ miſerè periit, cum equis & jumentis: reliqui fluminum inundationibus ſubmerſi ſunt : His acceptis incommodis Solymannus à perſequendo hoſte deſtitit: atque in Aſſyriam ſecedens, Babylonem cepit, dedentibus ſe vltro civibus : ibi à Calipha religionis Muſulmanicæ ſummo Pontifice ſacris ceremoniis in Imperio confirmatus eſt. Pauloque poſt omnes Meſopotamiæ & Aſſyriæ vrbes miſſis legatis Solymanno deditionem fecerũt: hæc geſta ſunt anno Chriſti 1535.

Cum eſſet Babylone Iſchenderem Zelebin ſummũ Dephterdarium ſive ærarii Præfectum ſuſpendio affe-

cit, & eius bona fisco attribuit, propter infideliter tractatos Sultani thesauros. Præter milites quos secum adduxerat ex Europa & Asia minore, Principes se illi junxerant Præfectus Cairi, Sangiacique Iudeæ, Alexandriæ, Syriæ, &
1537. Commagenæ anno 1536.

Sequenti anno in Persidem rediit, sed nusquam comparente Tammo, dum in Mesopotaniam reverteretur, magna damna ab equitibus Hiberis accepit, & à Delimanno, quem aliqui Agathyrsum nominant: Is per compendia viarum nota, non procul à Bethilisio vrbe ad Antitaurum sita, tam strenuè Turcas invasit & vrsit, vt cum summa difficultate illius impetum effugerint fuga Vlamas begus, & Præfectus Cairi: quæ clades Turcis illita est 13. Octobris anno 1536.

Id gravissimè torsit Solymannum: qui ex Carachemida Alepum petivit, vnde rediit Constantinopolim, offensus admodum Abrahimo bassæ expeditiones istius autore, quem multis criminibus obrutum jugulari jussit; & in eius locum substituit Aigasem, sive Aiacem bassam. Chairadinem verò (qui ad eum venerat expulsus Tuneto) propter rei navalis peritiam, Thalassiarcham creavit.

1536. Anno 1537. Solymannus non ferens Lusitanos occupare emporia Indiæ, sinumque Arabicum (per quem aromata & odores ex India Memphim & Alexandriam importabantur) Hæc autem omnia magno AEgyptiorum & Turcarum damno, divertebant Lusitani, & in Hispaniam transvehebant, & ad reliquos septētrionales populos: Huius belli gerendi Solymanno Eunucho Albano, Cairi præfecto negotium dedit. Qui etsi illos ab institutis navigationibus non potuerit impedire; plurimum tamen auxit sua virtute Othmannorum potentiam.

Soly-

Solymannus interim suasu suorum bassarum, potissimum Ioannis Forestenij, Galli regis Legati, & Troili Pignatelli transfugæ Neapolitani ad Turcas,& quem Sultanus ob singularem virtutem militarem receperat inter Mutfaracos equites,qui ex omnibus orbis nationibus collecti,religione libera,militant imperatori Turcico.Is iam antea Chairadim Barbarossæ notus, & Lutzibassæ commendatus, hortatorque erat Sultano, vt terra marique Italiam peteret : Qui cum terrestribus copiis ex Thracia per Thessaliam contendit in Albaniam,& Anlonam pervenit: Navales verò in Cephaleniam & Zacynthum priùs appulerunt, quam Christiani putassent Constantinopoli solvisse : Statimque ingressus in Calabriam Lutzis bassa cum Chairadine Castrum vrbem ab Hydrunto distantem milliaribus octo expugnavit, & deprædatus est, abducto cum reliquis incolis Mercurino Gattinari loci domino. Potuissentque tota Calabria potiri, nisi Alexandri Contareni Veneti adventu fuissent repulsi. Andreas Auria ad insulas Merletes (quæ sunt Ericusa, Marathe, Elaphusa,& Malthace, prope promontorium Cassiopæum tredecim hostium triremes eodem tempore nō sine suo damno submersit:nam in eum irruens Chairadines cum 80.triremib.ex Leucade fugiens ad Lacinium promontoriū (quod Capo delle Colunne dicitur) sese Messinam celeri cursu recipere coactus est: Anlonæ interea Solymānus consederat, quæ est è regione Hydrunti in altera ripa maris Hadriatici,distantq; ab invicem milliarib. sexaginta. In eius vitam conspirarunt Chimeriotæ montani, qui duce Damiano per prærupta saxa evadentes in tentorium principis irruerunt, parumque abfuit, quin illum incautum occidissent ; sed captus Damianus cum complici-

bus trucidati ſunt. Vtque totius gentis audaciam vlciſceretur Sultanus, iuſtum exercitum immiſit in Acroceramum, qui omnia incenderunt, diripueruntque: & incolas omnes in ſervitutem abduxerunt. Pauloque Poſt Chairadines Corcyram invadit cum Lutzibaſſa, omnemque inſulam deprædati ſunt, præter vrbem & duas arces ſitu ac munitione inexpugnabiles: reliquis oppidis & vicis depopulatis: vnde tantum numerum captivorum abduxerunt Conſtantinopolim, vt expoſiti ad Beſiſtas ſupra Galatam, ſinguli non pluris quam duobus vel tribus proclamarentur Sultaninis. Conſtantinopolim, reverſus eſt Solymannus imperator, rebus in Epiro benè geſtis, anno Chriſti 1538.

Interea Paſarus claſſis Venetæ præfectus cum Vetturio Collega Scardonem Dalmatiæ vrbem ad ſinū Dalmaticū occuparunt, & ſolo funditus æquarūt, ne Turcæ poſtea illam munirent, in tetrimentum Venetorum. Pari ſucceſſu Argirutū, quod Obroazzo dicitur, occupaſſent: ſed Amuratis Sebenicenſis adventu ab incœpto remoti ſunt. Eodem anno Chayradines cum claſſe Turcica erat in ſinu Lartæ, in quem Doria cum patriarcha Grimanno, Ferdinando Gonzaga, & Vincentio Capello cum reliquis navalibus Chriſtianorum copiis impetum fecerunt: claſſis hæc ſuperabat vela ducenta, Chairadines verò cōplectebatur 87. triremes, & liburnicas triginta pręter minora navigia, quæ omnia ſimul juncta accedebāt ad 150. Quæ ſimul ducebant Tabacus & Salecus Pyratæ famoſiſſimi, & qui iam antea egregiam Chairadini navarāt operam in Africa ſubigenda. Prælio prope S. Maurā commiſſo magna clade accepta, ſubitaq; orta tempeſtate Auria ſpirantibus Euris in Corcyram ſe recepit 27. Septembris

anni

anni eiusdem 1538. Tantasque Christianorum copias navales convertit in sinum. Rizonicum, qui Golfo di Cataro vocatur: vbi castrum novum Turcis ademerunt, & incolas in servitutem redegerunt. In cuius vrbis custodia relicti sunt veterani milites Hispani, qui duce Sarmento Corone fuerant abducti: Solymannus hac Castri novi occupatione irritatus, præcepit vt novus in Dalmatiam mitteretur exercitus; statimque Chairadines cum Draguthe, & Corseto pyratis, cum 90. triremibus & 4. magnis navibus onerariis maritima navigatione eò appulerunt. Vlamas begus Persa, qui Bosnæ Illyrici tunc erat Beglerbegus terrestres copias agebat: Cumq; ad Castrū novum pervenissent, iaculatione cōtinua ex propugnaculis & mœnib. plusquam mille succubuerunt Turcæ: & Agi Hariadenus vrbis Taioreæ in Africa rex prope Tripolim occisus est. Tandē irruentibus magno impetu Turcis vrbs capta est. 7. Augusti 1539. 1530.

Sarmento tribus sagittis transfosso, cum aliis plurimis ducib. bellicis: reliqui à Chairadine capti cum 800. veteranis servituti mancipati sunt, & Constantinopolim missi. Cattarum quoq; aggressus est Chairadines, sed ab eius obsidione discessit, donis acceptis à Mapheo Bembo vrbis præfecto.

Ioannes Sepusius sive Sapoliensis regno Hungariæ pręfectus à Solymanno, iam senex duxit vxorē Isabellam Sigismundi Polonię regis filiā: qui Sigismundus antea Ioannis huius Sepusij sororem Barbarā matrimonio sibi copulaverat: qua mortua Bonam Sfortiam Ioānis Galeacii ducis Mediolani ex Isabella Arragonia susceptā substituit. & ex hac Bona nata est Isabella quā Sepusius duxit. Et Ioānes Sigismundus II. qui regno Poloniæ præfectus est.

At cùm

At cùm Maylat & Balas præfecti Transylvaniæ defe-ctionem mollirentur, à Ioanne Sepusio sunt oppressi, in qua cum esset expeditione, Isabella illi Silinici peperit filium Stephanum: Rex ægrotus in convivio instituto cúm avidius bibisset, ut gratulationi suorum satisfaceret, in febrim recidens, diem extremum obiit, ex testamento filium hęredem relinquens; cui tutores instituit Georgium Varadini Episcopum, & Petrum Vicis consanguineum: Legatique missi sunt Constantinopolim cum muneribus, nempe decem pateris ex auro puro, 600. argenteis deauratis cælatisque: 40. talaribus Syrmatisque vestibus sericis & aureis, & 50. libris auri puri cusi. Puer regius baptisinate insignitus est, & diademate regni sacro coronatus.

Mortuo igitur Ioanne Sepusio, Ferdinandus Caroli V. Imperatoris frater regnum affectans, hortatu Hungarorum nobilium, qui ad eum defecerant, arma movit in Isabellam defuncti viduam, venerant enim ad Ferdinandum Alexius Torso Ferentius Gnarus, Petrus Bachit, Baltazar Pamphilus, Francus Capolnates, Ianus Castelamphus, & Casparus Seredus, qui omnes mulieris & monachi Georgii non poterant perferre imperium. Coacto igitur exercitu Ferdinandus Leonardum Velzium Rhætum præmisit Danubio, qui Strigonium descenderet; ac paulo infra, Vicegrade arcem vi expugnavit, cui præerat Valentinus Litteratus. Pæstum etiam pari successu occupavit & Vacciam, quæ se ultro dediderunt. Inde Budam appulit cum omnibus copiis. In urbe erat Valentinus Turacus militiæ magister, qui sese intra mœnia continebat, res urbanas aleæ non ausus committere. Velzius cùm obsidionem in longum trahi videret, militem reduxit

ante

ante Vicegradum, ut arcem ſuperiorem, quam nondum ceperat, cogeret ad deditionem; quod ſtatim contigit: ac paulo poſt Albam regalem, Petri Perennij defectione, in poteſtatem redegit. Cumque Hungaris non ſatis benè conveniret cum Germanis, rediit Strigonium imminente jam hyeme.

Iſabella & Georgius urgente neceſſitate petiverant auxilium à Sangiacis vicinis; nempe ab Vſtrepho Boſnæ, & Mahomete Iahaogli Belgradi, & ab Amurate: qui jam Cliſſa occupata prope Salonas, ad Dalmaciæ fines appulerant, ſed ulterius progredi ſine juſſu Imperatoris non erant auſi. Regina igitur rem omnem per Legatos, quos habebat Conſtantinopoli, Sultano communicavit. Qui munera ad puerum regem miſit nempe togam regiam purpuream auro diſtinctam, clipeum excellenter elaboratum, cum maſſa & acinace gemmis ornato, illius protectionem ſe ultro ſuſcepturum promiſit. Simulque Vſtrepho & Mahometi ſeverè mandavit, ut profectionem maturarent, nequid ſiniſtri Budeſibus eorum negligentia & cunctatione contingeret. Cùmque Hieronymus à Laſcho veniſſet Conſtantinopolim, & Sultanum multis verbis averteret à tutela pueri reges conjectus eſt in vincula & à Roſtano baſſa Solymanni genero indigniſſimè tractatus.

Anno 1541. ineunte vere Turcæ in Hungariam venerunt, & conjunctis copiis cum Valentino trajecto Danubio Vacciam occuparunt & cremaverunt. Inde perrexerunt Pæſtum cui præerat Barcoc & Otho Fotiſcus: in cuius obſidione cùm ſatis malè Turcis cederet, & illis à regina parciùs ſolite elargiretur annona, relicta obſidione reverſi ſunt in ſuam ditionem. In quas diſce-

dentes impetum faciens Ferentinus Gnarus multos occidit inter quos cecidit Achomates vir ſingularis virtutis.

Carolus V. ut fratri ſuccurreret, Comitia Principum Ratiſponæ convocavit menſe aprili anno 1541. ubi de religionis perturbatione actum eſt. Tandem Imperatoris juſſu negotium expeditionis Hungaricæ delegatum eſt Gulielmo Rockendorfio; qui cum Sileſiis, Moravis, & Boëmis ſecundo Danubio Budam deſcendit: quam machinis tormentisque æneis, & cuniculis ſub terram actis uſque adeo concuſſit, ut oppidanos fere moverit ad deditionem: cui acceſſit & proditio Bornemitzii Budenſis, qui Germanis portam ſecretiorem noctu aperuit: ſed cum proditor ſe videret proditum, cum Germanis anfugit. Solymannus interea Mahometi baſſæ injunxit, ut celerrimè Hungariæ regi ferret opem: Muſtapham autem baſſam Nicopolis Sangiacum miſit in Maylatum, qui Ferdinandi partes ſequebatur, præcepitque Petreio Moldavo Valacorum Satrapæ, ut Muſtapham adjuvaret. His iuncti erant Machometes Sangiacus Belgradi, & Vlumasbegus, qui Vſtrepho in ſangiacatu Boſnæ ſucceſſerat. Iam perventum erat Budam, vbi Valentinus Turacus, qui in urbe erat, Turcis ſe coniunxit, ut in Rochendorfium aliquod generoſum facinus aggrederetur: Pugnatum eſt utrinq; magna obſtinatione, donec Rochendorfius graviter humerum ſaucius, noctu fugæ ſe dedit. Mahometes Belgradi, & Valentinus Turacus Perennii caſtra occuparunt, Germanis expulſis: in ea pugna pluſquam viginti millia hominum cæſa ſunt à barbaris 36. maxima tormēta ænea abducta ſunt: ſarcinæ & īpedimēta, cúm innumeris mercatorū tabernis prædę

mili-

militum cesserunt. Rockendorfius, qui se inde subtraxerat æger, per suos invitus licet schapha delatus est ad insulam Comarem, & paulo post in pago Soma animi dolore, & vulnere quod acceperat pressus, expiravit.

Solymannus cum ingentibus copiis Budam pervenit mense Augusto anno eodem 1541. qui victorem exercitum collaudavit: & Machometem Belgradi Sangiacum, cuius virtute parta erat victoria, equitatui totius Græciæ præfecit: captivosque fere contingentes miseræ destinavit laniena: inter quos erat Baltazar Picanus, & Tayscus viri nobiles. Missisque ad regem puerum muneribus, inter quę erant tres equi generosi, ornati frænis & Ephippijs aureis gemmatisque, & tres togæ clavatæ, auroque distinctæ, reliquis quoque Hungaris optimatibus auro variegatas vestes donavit: simulq; petivit ut puer in castra adduceretur, quod factum est, matre tamen dubia de rerum eventu. At dum Principes Hungari opiparè in castris convivarentur, Solymi jussu missi sunt præcipui ex Ducibus, qui prætextu urbis visendæ, portam Sabbatinam, & compita urbis occupaverunt: Proclamatumque est publica tuba, ut cives nihil formidarent: sed si benè consultum vellent sibi, uxoribus, & liberis, arma in locum destinatum comportarent: quod statim factum est cogente id necessitate. Postquam rem sine tumultu pacificè transactam vidisset Sultanus, puerum sub noctem ad matrem remisit, retentis apud se Georgio Varadinensi Episcopo, Petro Visch tutore regis, & Valentino Turaco præfecto militiæ. Stephanoque Terbene cancellario, & Vrbano Baziano præfecto Vrbi. Regina metu percita ad Solyman-

1541.

lymannum misit, qui supplicitẽ rogaret vt datæ fidei memor esset; simulque exquisitas margaritas ad Rostanum Principis generum portari jussit, quæ illius benevolentiam promererentur. Solymanus vrbem ingressus 30. Augusti anno 1541. cum duobus filiis Selymo, & Baiazete, quos ex Rossa susceperat. (Nam Mustaphas qui ex Circassa matre natus erat patri suspectus propter acumen ingenij, & militum favorem, quasi relegatus Magnesiæ vrbe Ioniæ relictus erat. Peractis igitur sacris suasu bassarum, maximè Rostanis, jussum est reginæ, vt ex vrbe cum filio discederet; & se in Transylvaniam reciperet, donec puer adultus regno videretur idoneus. Illa interim cum thesauris regiis Lippæ viveret, suarum rerum secura. Isabella intra se tyranni perfidiam obominata, mandatis tamen illius obtemperavit; relictaque vrbe, & omnibus quæ ad militiam pertinebant, cum suis Satrapis viæ se expedivit. Solus Valentinus Turacus homo magnanimus & opulentus, quique munitissimas arces circa Balatonem lacum possidebat, retentus est captivus: quamvis illius liberationem diligentissimè solicitaret regina, & Agorchus Sigismundi Poloniæ regis Legatus apud Turcam.

Ferdinandus interim misit Leonardum Velzium, quæ fugam suorum compesceret, reliquias colligeret, & confirmaret. Nicolaumque Salmensem ablegavit ad Solymannum, qui novis conditionibus pacem impetraret: Cum eo erat Sigismundus Lithestanus: Hi obtulerunt Imperatori pateram auream gemmis variis ornatam, cũ quadam machina argẽtea, quæ horarum distinctionem, planetarum cursum, & lunæ cum sole coniunctionem artificio mirando denotabat. Hi excepti sunt honorificè,

& post

& poſt aliquot convivia acceptis muneribus in Auſtriam reverſi ſunt. Ipſe verò Budæ conſtituto Machomete Hungaro, ſed qui ad Turcarum religionem defecerat, adiunctoque illi Stephano Verbeto tanquam vrbis judice ſub autumnum Conſtantinopolim ſe recepit.

Anno 1542. Comitia Norimbergæ cōvocata ſunt, vbi de controverſiis religionis ageretur, & ſimul de bello movendo contra Turcas pro regno Hungariæ. Vrbes liberæ triginta peditum millia, & ſeptem millia equitum decreverunt, qui ſub ductu Ioachimi Brandeburgici ſecundum dextram Danubij ripam deſcenderunt Strigonium. Illis ſe junxerunt decem millia equitum Stiriorum duce Hunganoto: & Hungarorum quindecim millia ſub ducta Caſparis Seredi. Paulus autem III. Farneſius P. M. miſit tria millia equitum, quibus præerat Alexander Vitellius. Præter eos qui iam in Hungaria militabāt. Traiecto igitur Danubio Pæſtum venerunt. Solymannus autem magno cum adparatu in Hungariam contendens primò Valpoum, Petri Perennij arcem munitiſſimam vltra Dravum ſitam, expugnavit: vnde Peſtum aggreſſus, noſtriſque habita pugna fuſis, turpiterque fugiente Ioachimo Brandeburgico, vrbe potitus eſt.

Anno ſequenti rurſum in Hungariam Solymannus expedivit Amuratem, & Vlamam Perſam; quos ſequebatur Achomates Romaniæ Beglerbegus, illi Soclum occuparunt in via, & Strigonium duxerunt copias. Vrbem tutabatur Liſcanus Hiſpanus, & arci præerat Salamanca. Mœnibus autem continua concuſſione ex maiori parte deiectis, cum Turcæ per valla & aggeres vrbem ingreſſi eſſent, multis ſuorū cæſis, repulſi ſunt: inter quos occubuit Baltacus Selymbriæ ad Euxinū pontum Tetrarcha, &

Zimar Persa, cum circiter ducentis Turcis qui ex navibus urbem oppugnabant. Sed postea rebus malè cedentibus Liscano & Salamancæ, 10. Augusti eiusdem anni urbe sunt potiti: qui cladi superfuere, trāsacta cum Turcis compositione, Posonium se receperunt ubi à Nicolao Salmēsi capti sunt Salamanca, Liscanus Vincenti⁹ de la Matrici, Alessius Nardous, & Tristanus, & sub custodia traditi.

Solymannus relicto Strigoni Ossano, præmissisque Scythis Tataris, qui usque ad Albam regalem incursionibus assiduis longè lateque Pannones infestarent: Theodatam urbem munitam cepit, & solo æquavit. Inde vires omnes convertit ad expugnandam Albam: Quæ ut palude circumquaque erat cincta, & loci opportunitate munita, videbatur multum facessura negotii obsidentibus. Vrbi præfectus erat Barcocius, qui suadebat, ut suburbia diruerentur: Sed Octavianus Scrosatius cum Albanis, illius consilio non obtemperavit: Factumque est ut impetu facto Turcæ occuparint suburbia; cæsis Scrosatio, Barcocio, Philippo Tornielo comite, & Carlo Secco viris illustribus. Oppidani præsentis periculi metu Legatos ad Solymannum miserunt pro redditione urbis: quibus permissum est discedere rebus salvis: & civibus libertate frui: Sed post abitum peregrinorum militum, Sultanus urbem ingressus supplicium sumpsit de aliquot civibus, qui rejecto imperio Isebellæ, & regis pueri, ad Ferdinandum defecerant: reliquos, nequid novi machinarentur, transtulit Budam, & Belgradum. Balibeium Vrbi præfecit: & toti regno Hungariæ Machometem Iahaogli Belgradi Tetrarcham. Ipse verò cum reliquo exercitu,
1543. vergente iā autumno, Constantinopolim rediit an. 1545.

Anno 1547. Helias sive Ercases, Imirsa Tammæ Scacho

Persa-

Perſarum frater ad Solymannum defecit:cui commiſit exercitum & in Perſiam remiſit: Sed cum fratrem Tammam non poſſet aſſequi, expeditioq; illa laborioſa & infrugifera videretur, Helcā variis criminationib. obrutum coëgerūt aufugere:ipſi & infecta redierunt in Anatoliam.

Anno 1550. Aphrodiſium (quod Mauris dicitur, Mahadiam, noſtris vero Africa) in ipſius Africæ littore occupavit Dragutes Raiſus pyrata celebris: quam eodem anno recepit Carolus Cæſar, per Andræam Auriam; cæſis ex barbarorū præſidio 300. & abductis 1200. mancipiis quæ in Monaſterio oppido vicino Africæ capta ſunt: ipſumq; Aphrodiſium poſt tertium menſem expugnatum & ſolo æquatū, abductis inde 7000. captivorum. Id Solymannus ægre ferens, Sinambaſſam cum Dragute & Sala Raiſis remiſit, qui Melitenſem arcem expugnarent: quod cum fruſtra tentaſſent, in Africam trajicentes Tripolim arcem & oppidum ditionis Equitum Melitenſium in poteſtatē Othmannici Imperatoris redegit 15. Auguſti, anno 1551. Tripoli præfectus eſt Dragutes cum Sangiacibegi titulo: Is infeſtus erat Carvennæ regi vicino, quòd obſidenti Aphrodiſium ſuam negaſſet opem: quare in eum arma movens, eius fere totam ditionem, quæ 300. tantùm à Tripoli milliaribus diſtat, ſui juris fecit eodem anno, Alisbaſſa, qui Cara dicebatur, Budenſis præfectus Stephano Loſontio cæſo, Temeſvarum Hungariæ urbem occupavit, cum aliis aliquot caſtellis, Eraſmumque Tenfelum præfectum Ferdinandi Auſtriaci, cum Sfortia Palavicino, Auguſtino Scardellata & aliis ad Palaſtum fuderat: Quarum rerū ſucceſſu elat⁹, adjūcto ſibi Achomate Romaniæ Beglerbego, & Caſaue: aliisq; begis, Zolnoccū, cedentib. ultro præſidiariis militibus, 4. Septembris in deditionem

1550.

1551.

rece-

recepit: Cùmque Agriam tentaſſet expugnare,cum in-
1552. genti ſuorum clade & dedecore repulſus eſt: Anno 1552.

1553. Anno 1553. ſolicitante Aramantano Regis Galliæ Legato Solymannus claſſem armavit, quam cum Gallo coniunxit,Siculisq; & Neapolitanis graviſſima damma intulit. Eodemque tempore Genuenſibus adempta eſt Corſica:quam poſtea receperunt anno 15,9.

1555. Anno 1555. cum legati à Ferdinando de pace tractanda miſſi eſſent Conſtantinopolim Antonius Verantius Agriæ Epiſcopus, & Franciſcus Zais Caſſovienſis præfectus, neque adhuc quicquam impetraſſent, Tuigon Budenſis baſſa Capos Vhivarum & Babotzam cepit, unde ad Zigetum tendens, fortiter à præſidiariis retro cedere coactus eſt.

Anno ſequente Selymus & Baiazites vivente adhuc patre de imperio inter ſe decertarunt, victusque Baiazites in Caramaniam cum quatuor filiis ſe recepit abductis ſecum 20000. armatorum. Inde in Perſidem perrexit. Sed ne quid novi moliretur, Solymannus Legatos ad Tammam Sophi expedivit, qui illum rogarent, ut Baiazitem cum filiis de medio tolleret. Vtque de ejus morte non poſſet dubitare, miſit eo Caſminum Zeſchnegir, hoc ,eſt prægustatorem qui optimè Baiazetem ex facie noverat. In cuius præſentia Principes cum filiis ſtrangulatus eſt. Et mortuorum corpora Sebaſtæ ſepulta ſunt an-
1559. no 1559.

Dragutes Tripolis Sangiacus Gerbenſem inſulam dolo cepit, interempto Soleimane Schoco, quem ſuſpendi juſſit, alterique Scecho inſulam conceſſit, ea conditione, ut quotannis illi tributum ſex aureorum millium penderet. Cùmque Melitenſes ad recuperandam

Tripo-

Tripolim cum Hispanis classem instruxissent; neque illis hæc expeditio successisset, Gerbem invaserunt. Qua de re Dragutes ad Solymannum rescripsit: Atque is cito Pialimbassam cum Genizarorũ & Spachiorum manu forti eò misit, classemque sub ductu caræ Mustaphæ instruxit: hi simul in Christianos invecti, decem & octo millia ex nostris vel cæsa, vel capta, vel vndis obruta sunt: triremes 27. amissæ, naves onerariæ 14. Dux Medinensis cum Ioanne Andrea d' Auria Melitem evasere, Gastone filio Me- 1561.
dinensis capto: anno 1560.

Anno 1561. Græcus quidam Iacobus Heraclides, qui & Basilicus dicebatur, & ab antiquis Valachis originem ducere, Samique Despota, & Pari insulæ Marchio, à Polonis adiutus Alberto Lasco, Philippovio, & Lasocio, regnum Moldaviæ occupavit, expulso Alexandro Despota, cuius possessionem illi confirmavit Solymannus: sed quinta Novembris 1563. fraude circunventus à suis Valachis cæsus est: cui substituerunt Demetrium Visnovecium: & eundem Constantinopolim captivum miserunt, accito Tomsa principe, qui paulopost ab Alexandro reverso Despotatu detrusus est, & in Podolia ad Leontopolim capite plexus. Alexandro filius Bogdanus successit. Bogdano Ivonia: qui se Stephani Vaiovodæ filium ex concubina dicebat, qui & à suis ad Danubium necatus est: & in eius locum Petrus alterius Valachiæ principis frater, adiuvantibus Turcis, suffectus est.

Anno 1574. Garzias Toletanus Pignonem arcem in Barbaria littorali Africæ ora Turcis eripuit: ex qua pyratæ multa inferebant damna Italis & Hispanis.

Eodem anno Lazarus Suendius Tocaium & Zerencium expugnavit in Transylvania, traiectoque Tibisco

Maximiliani imperio addidit Erdendam, Cuvaram, Batorum, Vibaniam, & Sẽderouiam. Cumque rebus Vaivodę Transylvani Ioannis Sigismundi succurrere non posset Solymannus: qui suasu Chasanis Chairadinis filij Prosubtani Algerij, & Dragutis Sangiaci Tripolitani classem armabat in Melitenses equites, quæ continebat 250. navigia: & vehebat 4000. idoneorum militum. Classi pręerat Pialisbassa cum Dragute: Terrestres copias agebat Mustaphas bassa: & ex Algerio Chasanes adduxit 27. triremes. Hi omnes litus Melitæ legentes, castellum S. Hermetis in ostio portus ceperunt: & hac elati victoria ad oppugnationem munitionis S. Michaëlis se accingebant: sed adpetente iam hieme, & adventante ex Sicilia prorege Garzia Toletano, Turcæ in ignominiosam versi sunt fugã multa clade accepta: nã in hac obsidione cæsus est Dragutes: plusquam 23000. millia Turcarum desiderata, ex Melitẽsibus autem 211. equites interierunt militum 3000. præter aliam turbam bello inutilem: hæc acciderunt 1565.

At Pialisbassa ne nihil in hoc bello videretur præstitisse, in reditu Chium maris Aegei insulam Genuensibus ademit: quamvis Sultano quotannis solveret tributum decem millium ducatorum: id insulanis crimen imponebat, cur illis libertatem tolleret, quòd iam biennio tributum non dedissent: quòd per nuntios reddidissent certiores Melitenses de rebus Sultani: & quod multa mancipia Constantinopoli fugitiva se in Chium recipiebant, vnde in patriam remittebantur.

Interea Transylvanus Vaivoda non desinebat assidua importunitate Solymannum solicitare ad bellum Hungaris inferendum: cui vt aliqua in parte obsecundaret anno 1566.

Palotam

Palotam menſe Iunio cinxit obſidione: à qua diſceſſerunt Turcæ metu advenientis Georgij Comitis Helfeſtenij: qui Palota Veſprinum ſe contulit cum exercitu, adiutus præſentia & copiis Egonis Comitis Salmenſis: quo capto Tatam & Geſter caſtellum, Turcis Strigonium ſe recipientibus, occupavit: ad eos quoq; defecerunt Vethaimenſes, Iſcochiani, & alij: vnde Turcæ Chriſtianorum metu incenſis caſtellis diffugerunt. Auguſto ſequenti Svendius Tataros, à Solymanno in auxilium Tranſylvani accitos, ſuperavit; & eorum plusquam decem millia cæcidit: expugnavitq; aliquot caſtella Georgij Bebeci, qui ad Tranſylvanum defecerat: nempe Zabaticam, Pelſozium, Gombazzecum, Craſnahurcam, & Gadingen. Eodem anno ſe Giula à Pertavo Vezire baſſa, & alio Temeſvarienſi baſſa, & Tranſylvano capta eſt, proditione Kerozinii: qui à ſuo affine Georgio Bebeco corruptus erat: Sed proditor poſtea Conſtantinopolim ductus, accuſatusque quod Muſulmãnos captivos crudeliter tractaſſet, juſſu Selymi (qui patri mortuo ſucceſſerat) incluſus dolio acutis clavis ferreis circunducto, ac de monte devolutus, infelicem per horrendos cruciatus exhalavit animam. Capta Giula ſecundo Iulij, ad Zigetum obſidendum venerunt, præſente Solymanno, qui paulò ante eò venerat cum exercitu ducentorum millium, ad ſubiugandas Hungariæ reliquias: Zigeti erat Nicolaus Comes Zerinius cum aliis multis nobilibus Hungaris: qui licet hoſtem ſæpius viriliter repuliſſent, locum tamen retinere diu contra violẽtiam eorum non potuere. Captum eſt Zigetum 7. Septembris 1566. 1566.

Interfecto Zerino: in ea obſidione plusquam triginta millia Turcarũ occubuerunt: Sed triduo ante quã expugnaretur Solymãnus diem obiit poſtremum. Eius mors

Dd 2 tanti-

tantiſper occultata eſt per Vezirem baſſam Mechemetem (interfecto etiam Sultani Archiatro ne palam id faceret) donec Selymes, cuius filiam duxerat, imperiũ patris ſine tumultu ſumeret, & ad caſtra veniret. Nam Ianizzari & reliqui milites in monte Principis ſolent omnia diripere, ipſosque etiam Sultani theſauros, cum Chriſtianorum Iudæorumque facultatibus auferre. Quæ ſi in caſtris contigiſſent, maximas clades rebus Turcicis inferre potuiſſent Chriſtiani. Mortuus eſt Solymannus 4. Septembris anno ſalutis 1566.



FORMA TIBI LAVDÃDA QVIDEM MORESQ. POLITI
BARBARA SED CRVDVM PECTORA VIRVS HABẼT.




PHILTRA DOCET TRÕGILLA CIBIS MISCẼDAQ. VINO
SOLA VT DILECTO TV POTIARE VIRO.







# ROSSA SOLYMANNI VXOR.



OSSA, Roxa vel Roxolana Solymanni vxor: quam duxerat propter excellentiam formæ ceremoniis etiam contra morem Muſulmannicum adhibitis conviviis, ubi vino & omnibus eſculentis omnes indulſerunt. Ea ſemper unicé dilecta eſt Imperatori, & inter omnes eius uxores hæc ſola Sultana nominata eſt. Habebat Solymānus alias uxores & concubinas, inter quas fuit Circaſſa quædam, quam ante Roſſæ nuptias duxerat; ex ea Muſtapham baſſam genuit ſuorum liberorum primogenitum. Sed poſtquam Sultanino thalamo excepta eſt Roſſa, oportuit

tuit Circaſſam illi cedere: cui vt gratificaretur maritus filium Magneſiam in Aſia miſit, & illi Amaſianam provinciam dedet, quò ſimul cum matre ſe reciperet: Deinde ut juvenem ſummo ingenio & virtutibus clarum tumidumque in officio & contineret illi ad ſignauit Carahemidam in Meſopotamia ad fines Perſicos, vt remotius à patre viveret. Amabatur enim à Genizaris & à Principibus. Vtrumque & matrem & filias incantationibus philtrisque à Trongilla venefica Iudæa alienaverat à Solymanno Roſſa: quæ omni ratione conabatur filiis ſuis Imperium adſtruere: Suſceperat enim ex Solymanno quatuor filios Muchemetem, Selymem, Baiazitem, & Ziangirem: vnicamque filiam Chameriam ſive Cumillam, quæ Ruſteni Veziri baſſæ nupſit. Odium patris erga Muſtapham augebat non mediocriter Ruſtenes gener, multis ſiniſtris accuſationibus illum obruens: quod Baſſas omnes ſibi muneribus conciliaret, quod ficta comitate & ſimulata liberalitate in ſpem magnarum largitionum extollebat avaros Genizarorum

animos,

animos.Et quod præter cætera maximè exul cerabant Solymanni mentem,addebat Mustapham Tammæ Sophi Persarum regis filiam ambire.Quod si id matrimonium fieret, verendum esset ne tam potēti regno auctus & bellicosissimorum populorum auxiliis fultus arma in patrem moveret, & illo depulso sibi Imperium Europæ & Asiæ vsurparet, interfectis omnibus qui essent ex sanguine Sultanino, vt solus rerum potiretur. His motus Solymannus anno Christi 1552. Rustenem Vezirasemen sub prætextu belli Persici cum instructissimo exercitu in Asiam expedivit: sed re vera id struebat vt quavis occasione tolleret de medio Mustapham.

Cum autem Rustenes in Asiam traiecisset, literis ad socerum missis illum monet circunspectè omnia esse gerenda, Et nihil omittendum quod faceret ad res Imperij servandas in integrum: propensissimos militum animos ferri in Mustapham: actumque de rebus omnibus nisi Sultanus illi intersit expeditioni: & sua præsentia ex-

ercitus inſolentiam refrænaret. His exacerbatus Solymannus, quanta potuit celeritate Alepum venit, quaſi bellum Perſis illaturus: Eò cum appuliſſet Muſtapham ad ſe literis ex Carahemida accerſivit.

Is ſua innocentia fretus (licet de imminente periculo, & alienato à ſe patris animo ab amicis aliquoties fuiſſet monitus) nihilominus tamen diſſimulato metu ad patrem ſe contulit, ſperans fore vt præſentia ſua & excuſationibus legitimis calumnias malevolorum à ſe removeret, ſed ingreſſum Sultani tentorium arripuerunt ſubitò robuſtiſſimi viri muti (quos Othmanni principes in deliciis habere ſolent) humique proſtraverunt minaciter id innuente patre, iniectoque jugulis nervo principem innocentem ſtrangulaverunt. Accerſitus interea Zangir filius natu minimus, qui gibboſus erat, juſſus eſt quaſi per jocum conſpicere eum à quo nihil erat amplius metuendum, cui pater offerebat interempti theſauros & omnes facultates. Quibus omnibus ſpretis excandeſcẽs in Patrem tam

imma-

immanis cædis autorem, facinus illi verbis acerbissimis exprobravit. Imperator libertate intempestiva filij offensus truculenter ad se attraxit, & pugionem libratum in nihil metuentis adegit viscera: qui in corpus fratris interempti procumbens expiravit: Pauloque post Rossæ vxoris instinctu & solicitatione Solymannus Muratem Mustaphæ filium Prusæ in Bithynia cum matre degētem opera Ibrahimis Eunuchi bassæ iniecto nervo guttur elidi iussit: cum sæpius hæc mulier mariti ob oculos non desineret proponere periculùm quod posset procurari avo & eius liberis à nepote cuius patrem tantopere Genizari amassent. hæc acta sunt anno 1553.

Mortuæ tandem Constantinopoli Messita sumptuosissima extructa est in qua condita sepulchro precioso est. Et postea à Selyme filio qui successerat in imperio Solymanni patris in eadem corpus tumulatum est.

MAGNꝰ ES, ET GETICI TIBI GRATIA PRONA TYRĀNI
SERVIT; AT EX ALTO MAGNA RVINA VENIT.




TE PROCERES ODERE PARĒSQVÆ ET REGIA CONIVX
HORVM NE PEREAS PRODITIONE CAVE.



# ABRAHIMVS BASSA.



BRAHIMVS Baſſa natus ex ignobili villula Albaniæ prope Pergam, quæ eſt ditionis Buthroti. Is ab infantia prima captus eſt cum cæteris pueris Chriſtiani nominis, qui abducuntur ad Principes Oſmannicos. Dum puer eſſet, inſervivit Scander baſſæ (qui olim crudeliſſimè trajecto Natiſone fluvio graſſatus eſt per ditiones Livenziæ, Liſontij, & Tagliamenti, perque Marchiam Triviſanam uſque ad Venetias) Abrahimus igitur ingenua forma, ſingularique animi promptitudine præditus, facetus, & eloquens natura, propter has dotes domino ſuo gratioſus redditus eſt, & vnicè carus. Qui in Muſulmannica religione inſtitutus, vt prompto & acuto erat ingenio, literas Arabicas brevi tempore feliciſſimè didicit, & omne muſices inſtrumentum expeditiſſimè tractare: quòdque ad omnes delicias muliebres ſeſe accommodaret, Scander baſſæ uxori facilè conciliatus eſt. A quo donatus eſt Solymanno Selymi filio, vivente adhuc Baiazeto avo. Educatus igitur cum juvene Prin-

cipe, cui erat coætanens, illi ſe idoneum & obſequentem in omnibus præbuit, ſuosque ad domini mores conformans, tantum de eo viſus eſt mereri, ut adultior factus, Solymanni juſſu Scander baſſæ unicam filiam ſingulari forma præditam deſponſaverit, illiusque mortui heres factus, locupletes facultates obtinuerit. Neque id ſatis viſum eſt Principi, Baſſarum Princeps creatus eſt, & Cairi præfectura donatus, equeſtrisque militiæ Europeæ magiſter (qui Beglerbegus vocatur) factus eſt: Tandem vezir inter Baſſas promotus (qui ſummus eſt à Sultano gradus) ſigillum Imperatoris obtinuit & ſecretioris conſilij Princeps vocatus eſt; hunc titulum adeptus, vt Ser Asker Sultani diceretur, hoc eſt, ſupremus Imperator, & dux exercitus Sultani. Iamque ſolus aulam Imperatoriam pro arbitrio moderabatur & regebat, Sultano comes in omnibus expeditionibus & cōſiliis; imo in ſecretioribus voluptatibus & deliciis teſtis intimus. His igitur dignitatibus auctus, in bello Hungarico Beglerbegatum fideliſſimè & generoſè adminiſtratus eſt: Ac licet Muſulmannicam circuncisionem cum religione recepiſſet, occulta tamen devotione Chriſtum reverebatur & colebat. Aſſiduè igitur Solymannum hortabatur, ut relictis Hungaris & Pannonia ſub gubernatione Ioannis Sepuſij regis, & Aloyſij Gritti, Germanorum animos non irritaret ulterius, quorum vires non ſatis eſſet tutum ſæpius experiri: Satius eſſe docens arma convertere in Perſas Cuſelbas hereticos, qui Teckele Hereſiarcha religionem Mahometanam, profanis & intolerabilibus ſuperſtitionibus deformabant. Id ut facilius Imperatori perſuaderet, illi conciliavit Mulearabum Damaſcenum Prophetam, qui tunc Conſtantinopoli ſummo erat in honore, propter

peritiam

peritiam rerum ſacrarum, divinationem, & artem Magicam. Is Sultanum adhortari non deſinebat, ut Perſas hereticos bellis opprimeret, propoſita illi certiſſima ſpe victoriæ, quòd cauſa juſta eſſet, & Deo gratiſſima. Cuius admonitionibus obtemperare ſtatuit Solymannus licet illius mater, & vxor Roſſa conarentur illum divertere à tam longa, tamque periculoſa expeditione. Huic inſtituto multum adjumenti attulit Vlamas begus, qui recenter à Techmaſi ſive Tamma, Sophi Parthorum rege deficiens, Conſtantinopolim venerat, ſuamque operam offerebat in debellandis Perſis. Convocatis igitur omnibus Europæ Sangiacis, cum exercitu in Aſiam trajecit, ut Nizzæ militum delectum faceret. Luſtibegus in Peloponneſum miſſus eſt, qui Coronem obſideret, & Aloyſius Grittus Venetus in Pannoniam ablegatus eſt ad Ioannem Sepuſium ſive Zapolienſem Hungariæ regem, ut eius conſilio & prudentia Pannones in officio retinerentur. Solymannus interim votis pro victoria ſuſceptis ſacrisque peractis ſpe elatus rei benè gerendæ Iconium Lycaoniæ urbem venit, unde per Cæſaream, ad Malathiam perrexit (quæ fuit olim Amaltha) ubi ex Antitauri vallibus Euphrates emanat in apertiora loc. Poſtea ad Coin maioris Armeniæ urbem, quæ antiquis dicta eſt Artaxata, appulit: neque unquam in tam longo itinere Perſa hoſti ſe auſus eſt opponere. Vlamas autem cum expeditiſſimis Acanziorum equitib⁹ exploratum miſſus eſt, quid Tammas rerum gereret: quem cùm accepiſſet ad Iberos & Albanos in regionē Monteſum & difficilē ſe recepiſſe: Solymānus nullo repugnante Tebriſio occupato, in Sultaniā movit exercitū: ubi propter loci fertilitatē, & amœnitatē per aliquot dies refecit milites longis itineribus defatigatos. Herente interim diutius Tāma in Coraxeorū montibus, tam immanis tamq; horrenda ſupervenit tempeſtas

vt nivibus, grandine, & imbribus frigidiſſimis fere dimidi us Turcarum interierit exercitus. Hac tam inſigni ſuorũ jactura motus Solymannus, in Meſopotamiam cum ſuorum reliquiis contendit, vt illic hibernaret: Initioque veris Tebriſium reverſus non meliore fortuna vſus eſt, damna infinità vbique accipiens: quibus rebus offenſus, ſubiugata prius Meſopotamia, ac tota fere Aſſyria, Tebriſioque Perſiæ metropoli depopulato, Conſtantinopolim iter convertit: Quo poſtquam redíviſſet ab Abrahimo belli Perſici autore paulatim cępit alienari: Cuius odium in dies magis ac magis incrementum ſumebat factione & conſpiratione matris, & Roſſæ vxoris Imperatorię aliorumque Satraparum, qui nimiam Abrahimi potentiam ferre non poterant. Roſſa verò illum ſingulariter oderat, quod Muſtapham ſeniorem natu filium Solymanni fovebat: Noverca hæc maritum blandiciis & philtris eo impulerat, vt Muſtapham cum matre Circaſſa in Cappadociam mitteret, proculque à Conſtantinopoli abeſſet, ſi fortè contingeret Solymannum mori, & hac ratione in principatum ſubſtitueret filiorum vnum, antequam ex Magneſiæ præfectura in Thraciam venire poſſet Muſtaphas. Ambitioſę mulieris conſilia ſolus ſubvertebat Abrahimus: Præter has duas mulieres, Abrahimum Imperatori odioſum & ſuſpectum reddebat rumor publicus, quod Chriſtianis faveret, eorum res promoveret, & Chriſtum Deum coleret: Adde quod paucis antè diebus Marcum Nicolai Veneti filium ſecretò jugulari juſſerat, & in mare proiici, ne quæſtioni adhibitus revelaret arcana quædam, quæ Babylone cum eo communicaverat. His accuſationibus oppreſſus Abrahimus apud Solymannum, qui illum amariſſimè reprehẽdebat ingratitudinis

& per-

& perfidiæ: quod cum ex ſervili conditione ab eo provectus eſſet ad tantam honoris & autoritatis amplitudinem, tantorum tamen beneficiorum immemor, Othmannici nominis hoſtes perfidi foveret, id quod ex eiusdem Abrahimi literis paulo antè interceptis probabatur. Is ad Sultani pedes ſupplex & lacrymabundus provolutus, multis verbis veniam deprecabatur, peccatum agnoſcebat & fatebatur: Eius tamen preces apud exulceratum animum non habuerunt locum: Sed eadem nocte lectulo triſtis recumbens & dormiens, ab Eunucho jugulatus eſt cultro recurvo, quem à Principis manu acceperat. Dormientem juſſit ideo interfici: propterea quòd olim data fide & jurejurando interpoſito illi promiſerat viventem ſe nunquam vita privaturum. Vtque hac obligatione ſolveretur Taliſmannus, qui eſt legis Muſulmannicæ interpres, apud Principem aſſerebat ſomnum eſſe aliquam mortis ſpeciem, & dormientes inter vivos numerari non debere, quod omni ſenſu ferè carerent, & ab omnibus actionibus vitæ convenientibus ſejuncti eſſent, & quaſi Letheo ſtupore ſopiti: His monitis confirmatus Princeps Abraimum occidi præcepit, antequam evigilaret: Eius corpus dicitur lapidi alligatum & cum diris imprecationibus in mare proiectum: Poſtera die per quæſtores mortui bona ad ærarium tranſlata ſunt, & fiſco adplicata: ſervata tamen uxori infeliciſſimæ perexigua parte, quæ dotis nomine illi conceſſa eſt. Abrahimi loco Veſir factus eſt Aiax ſive Aigasbaſſa, Prætorianorum Genizzarorum præfectus, Principi clariſſimus propter promptitudinem & fidelitatem. Et Chairadines Barbaroſſa, qui paulò antè cum Sinano Pyrata ad Iconium obviam venerat Solymanno, ut illi gratularentur pro occupata Aſ-

ſyria, & veniam deprecarentur pro amiſſo Tuneto: Hunc igitur Princeps ob nauticæ rei peritiam, & magnanimitatem in Baſſarum numerum recepit, & Thalaſſiarcham creavit. Abraimus igitur hunc finem vitæ miſerabilem ſortitus eſt, poſtquam ad tantam potentiæ amplitudinem profectus eſſet, ut illi nihil deeſſe videretur, præter ſummum Sultani titulum: Sublatus eſt è vivis 15. Martij anno Chriſti 1537.



VIS TVA DIREPTO SATIS EST PERSPECTA TVNETO
NVNE CEDE: ADVERSAS CÆSAR HABEBIT AQVAS.




SECVRVS TERETI LASSABIT NAVITA REMO
AEQVORA, DVM LIBYCO PRÆFICIERE MARI



# ASSAMBEGVS.



SSAMBEGVS cognomento Maurus Alexandrinus, Pyrata ſui temporis famoſiſſimus. anno Chriſti 1533. cum Luſtibeio Sangiaco Gallipolis Thalaſſiarcha & Solymanni Othmanni ſororio, venit in Peloponneſum ad liberandam Coronen, Patras, & Dardenellos, loca munita, priùs occupata per Andream Auriam, & Imperatorios milites. Cum Luſtibeio venerat Soleimanes Eunuchus Albanus homo arte bellica clarus. Hi omnes cum octuaginta triremibus inſtructiſſimis appulerunt ad Acrite promontorium, quod dicitur hodie Capo di Gallo. Coronæ relictus erat Hieronymus Mendoſa Hiſpanus, ad quem Auria miſit Chriſtophorum palavicinum, ut illum de adventu copiarum auxiliarium redderet certiorem: Is per medios hoſtes viam ſibi vi faciens, ad urbem pervenit, obſeſſosque bona ſpe confirmavit. Interim Auria cum claſſe iuvectus in Luſtibeij naves, eas fudit, & diſſipavit non ſine gravi difficultate: ea pugna navali captus eſt Ioſupius mille Ianizarorum præfectus: quem paulo poſt multis affectum muneribus,

 & ho-

& honorificè tractatum, cum libertate remisit ad suos Methone hærentes. Ceciderunt eo prælio fere trecenti Turcæ, Maurus verò cum Soleymane Eunucho & Cairi præfecto, Lustibeium amarè reprehenderunt, quòd illius negligentia & cunctatione tantam accepissent cladem: parumque abfuit quin orta seditione ab invicem discederent. Auria igitur repulsis hostibus frumentum, & reliqua necessaria Coronēsibus distribuit, & urbi Macicaum præfecit cum novis copiis, abducto inde veteri præsidio: rediitq; Corcyram, deinde in Sicilam trajecit, cum hostes ut manus consererent cogere non posset. Paucis pòst diebus Maurus Venetorum naves onerarias in Syriam navigantes, non procul à Creta invasit quibus præerat Hieronymus Canalis, easq; nocturno prælio conatus est obruere: Sed sua spe & expectatione frustratus est: A Venetis enim superatus est & fusus: & ex tredecim triremibus, quibus præerat, quatuor fractæ & submersæ sunt, tres captæ, reliquæ Alexandriam fuga difficulter elapsæ pervenerūt. Ea pugna trecenti Ianizari, qui Cairum deferebātur, cæsi sunt; & plusquam mille Turcæ, qui triremibus inserviebant. Nam pyratæ raro utuntur mancipiorum opera in remigio, nō satis fidentes tali hominum generi. Inter cæteros captus est etiā Maurus graviter in frōte saucius: Is postquam nomen suū Canali declarasset, humaniter ab eo est tractatus, & Chirurgorū curæ traditus. Tunc uterq; veniā deprecati sunt, quod ad arma devenissent, putantes hostiles esse copias. Maurus Auriam se aggredi crediderat, Canalis Chairadinem, qui paulò antè tres Venetorū naves interceperat. Ita simulatis uterq; verbis factū excusantes, Maurus liber dimissus est: Veneti postea legati apud Solymānum Imperatorē culpam diluentes verbis supplicibus,

laudati

laudati sunt à Principe qui generosum Canalis animum multis verbis extulit, & eius magnanimitatẽ adprobavit.

Anno 1537. Maurus præfect⁹ est Scardonæ oppido Dalmatiæ: quod Pesar⁹ Vetturiusq; eius collega Venetæ classis præfecti obsederunt, expugnarũt, & solo æquarunt; ne postea Turcæ reversi urbem reciperent, & situ opportunã munirent, in detrimentum rerum Venetarum. Maurus inde cũ paucis elapsus, fuga salutẽ quæsivit: Anno autem sequenti 1539. Cùm Imperator Solymannus Lusitanos non ferret ex occidente in Orientem penetrasse, & pervenisse nõ solùm ad Erythræum sinũ, sed etiam in extremã Indiam felici navigatione copias duxisse; ubi structis arcibus, oppidis, & propugnaculis oræ maritimæ dominium usurpare moliebantur, & inde in Hispaniam avertere aromatum commercia, quæ priùs ex India per Arabicum sinum Suessum deferebãtur, inde Cairum, & Alexandriã: demum in mediterraneas Asiæ provincias, Græciam, Italiam, Germaniam & Galliam. Hæ autem merces Lusitanorum navigationibus intercipiebantur, & in Hispaniã avertebantur: unde facilè poterant cõmunicari reliquis septentrionalium regionum populis: His igitur dãnis offensus Solymãnus Imperator, negotium dedit Soleymãni bassæ Cairi præfecto, ut præparata classe Lusitanos ab incepto impediret: Celeri igitur diligentia octoginta naves ædificari curavit, quas ex Cairo sive Memphi terrestri itinere Arsinoẽ, quæ dicitur Suessa, dissolutas transvehi jussit: Et in portu Suessano compactas mari exposuit: Clasis hæc constabat viginti triremibus, viginti septem biremibus, quatuor ingentibus navibus, quæ Galeaciæ dicuntur à Venetis, Septem aliis onerariis quæ Mahones vocantur ad machinas bellicas comportandas, reliquæ numerum supradictum efficiebãt acõmodatæ ad belli apparatũ. His

1537. 1539.

navalibus copiis instructissimis Soleymannes Eunuchus, & Maurus Alexandrinus (qui paulo ante Sinani Iudęo successerat) anno 1539. ex faucibus Arabici sinus, quæ Azamenæ vocantur, distantque ab Arsinoe mille & quadraginta milliaribus, progressi, trajectoque sinu Persico pervenerunt ad Indum flumen; ubi summis viribus urbem Dion Lusitanorum præsidio munitam obsederunt: Quos cùm superare nequirent, re infecta, & infelici successu irritatus Soleymannes Ademam Indiæ emporium celeberrimum occupavit, ejus loci rege suspenso, deprædata urbe, & regiis thesauris secum absportatis: præsidioque illic disposito ad portum Zidæ delatus, Zibitinum regem pari crudelitate truncari jussit, cum omni regia familia, fidem datam credulo Principi rumpens, qui illius amicitiam sumptuosis muneribus affectabat. His avarè & immaniter perpetratis terrestri itinere Mecham se contulit, ut in fonte Mahometis prophetæ ibi sepulti facinora commissa expiaret. Exeuntibus enim ex faucibus sinus Arabici ad lævam occurrit urbs Ademiorum Arabiæ felicis emporium, ad dextram autem versus meridiem ad littus Trogloditarum regna sunt Selan, Monbazan, & Melindæ usque ad promontorium bonæ spei extremum Africæ & in hac Africæ parte longe lateque protenduntur regna Abyssinorum magni regis: qui reliquos omnes potentia & opibus superat: Mauro autem Alexandrino classem ad portum Arsimes reducendam commisit, quo & ipse peracta profectione ex Mecha reversus est.

TAMV-

CAPTINOS PRÆSENTE VIRO DVM DEPERIS, ILLIS
CONCILIAS LAQVEOS : TETRA VENENA TIBI .




AFRA TIBI PATRIA EST, NOMADVMQ; É GENTE PARĒTES
SED DIGNVS GRÆCA VIRGINE VVLTVS INEST




# TAMIRA ASSAMBEGI VXOR.



AMIRA Aſſambegi Alexandrini vxor: vel, vt alij volunt concubina: Alarbæa natione, colore fuſco, ſed forma gratiaque non vulgari: Erga maritum fide ſingulari: ſed contra barbarorum morem animo miti, & ad clementiam inclinato: cum truculētiam & crudelitatem viri ſui nonobſcurè improbaret, qui erga captivos Chriſtianos durus, & inexorabilis eſſet, ſæpius illum à crudelitate divertit lacrymis & precibus: Sed hæc benignitas & manſuetudo non fuit mulieri perpetuo vtilis: Nam in bello Dionis contra Luſitanos Aſſembegus duos Hiſpanos abduxerat, quos

cum duriore premeret servitute, & insolentius iusto se cum iis gereret, Tamira eorum vicem ægrè ferens, imprudentius apud maritum pro eis deprecata, eorum gratiam & virtutem extollebat: Hac re offensus, suspectamq; vxorem habens (quod potissimum illis cibum ministrari curaverat, & vestimenta dari) captivos adhibito gulæ nervo strangulari jussit in præsentia vxoris, illamque vt venenum biberet, coëgit, quo extincta est paulo post.





BIS TIBI VIGĨTI EST REGNORVM SV̄MA POTESTAS
TAM LATÈ EXTENDI QVIS PVTET AETHIOPAS.




CHRISTVS ABYSSINIS NŌ EST IGNOTVS IN ORIS
GENS EST IVDÆO SED RECVTITA MODO.



# DAVID ABYSSINVS.



AVID Abyssinorum Æthiopum rex natus est patre Nao, matre verò Helena. Pater Naus suis propter avaritiam odiosus, dum moreretur filium impuberem sub tutela matris mulieris prudentissimæ reliquit: quæ filium sanctis eruditum moribus, regnumque illius tamdiu moderatissimè gubernavit, donec ad ætatem sceptro idoneam pervenisset. Regem suum AEthiopes vocant Acegua, & Neguz: vel, vt alij volunt Beldugian, hoc est, gaudium inæstimabile, vel gemma precij indicibilis: ab hoc nomine nostri corruptè Pret tergiam nominant. Mauri illum appellant Aricli bassi. David hic peculiari titulo vult dici Atanadidenghel, hoc est, thus Virginis: Imperare dicitur regnis septuaginta duob. quæ linguis & moribus distincta sunt.

Anno 1533. Legatos misit Romam ad Clementem VII. P. M. cum literis, quibus se regem multorum regnorum dicebat: quorum nomina hæc recitantur: Xoa, Caffa-

Caffate, Fatigar, Angote, Barũ, Adear, Bellangangue, Vangue, Gazame, Amara, Baguemedy, Ambea, Trigremahõ, Sebaim, Bernagues, & alia. Præcipuum regnorum eſt Scevæ, vbi fere ſemper Dauid magnifica degit aula, propter aëris temperiem, fertilitatem terræ, & hominum ingenia. Vergit hoc Scevæ regnum ad Antarcticum, Viginti duobus gradibus. Palatia habet & templa magnis ſumptibus extructa, irriguis aquis, & herboſa regione amœnum. Fertile eſt hordei, frumenti, & omnis generis leguminum. Ter quotãnis tellurem colunt; perpetuo fere illic autumno vigente. Inter omnes Abyſſinos Scevenſes reliquos ingenij promptitudine ſuperant, & morum gravitate; juſticiam & æquitatem colentes, & principẽ ſuum ſumma veneratione obſervantes. Templa habent non multum à noſtris cultu diverſa, & ceremoniis ſacris. Inſtituti dicuntur S. Bartolomęi apoſtoli prædicationibus, & Philippi Diaconi: quos regina Candace recepit, & tractavit honorificè. Baptizantur more noſtro; & ferro candente fronti inurunt cicatrices quaſdam. Circumſciſione vtuntur, tam viri in præpucio, quam mulieres in myrtio particula eminente. Severiſſimis ſuppliciis delicta puniunt; maximè blaſphemos in Deum. Rex ab occupationibus & adminiſtratione regni liber, lectione ſacrarum literarum horas impendit vacuas. Vetus & novum teſtamentum, & Pauli Epiſtolas habent ex Chaldaica lingua in Abyſſinam translata. Moderatis vtuntur exercitiis, & balneis odoratis. Solus cibum capit, menſa aurea ſine mappa. Vinum bibit aurea patera, vel criſtallina. vel Zittum ex pomis acidis & copioſo Zaccaro. Dum menſæ accumbit, trecenti juvenes principum filii menſæ adſtant, qui illi inſerviunt; vel circa tentorium illius excubant more ſatellitum.

tellitum. Semper in illius præſentia ſe ſiſtunt quatuor reges ſubditi, qui per vices illius aulam ſequuntur, cum aliis Satrapis & nobilib⁹. Prandet tantùm quotidie: feſtis diebus cœnam adjungit prandio. In eius tentorium poſt cibum admittuntur regum uxores, quæ reginam honorẽt, & exhilarent cantu & ſaltationibus. Rex quatuor ſibi jungit uxores ex regum vicinorum filiabus. Vnius tamẽ tantùm complexibus fruitur: quæ ſi ſterilis inveniatur, aliam thalamo excipit. In publicum raro prodit, ac velata facie, crucem argenteam manu tenens. Præferuntur, dum equitat, ſeptẽ coronæ laureæ, quæ victorias illius enotent. Super illi⁹ caput prætenditur conopeũ ex velo ſerico. Tributa illi penduntur à cæteris regib⁹ vel auro, vel aliis metallis, vel pecudib⁹, ſerico, lana, tritico, ſale foſſili, pipere, aliisq; aromatibus, & mãcipiis, pro facultate uniuscuiusq;. Reliqui tigres, leones, & alias feras ad regiam adducunt; vel pelles ferinas, quibus Abyſſini milites in bello utuntur. Exercitus regius innumeram hominum ſecum ducit multitudinem. Vtuntur jaculis, ſagittis, & fundis. Illius tamen vires præcipuè in equitatu conſiſtunt. Caſſide, thorace, clipeo rotundo, acinace, & haſta bellum gerunt. Reliqui qui galeas non habent, tegunt caput pileo rubro & villoſo, qualem gerunt Mameluci Memphis. Elephantes turritos in prælia agunt. Animant pugnas tympanis & tubis æreis. Monetam cuſam non habent, peregrinam tamẽ admittunt ſignatam literis Arabicis & auream tantùm, quam Pardales & Seraphos vocant. Propriam non habent ſignatam, ſed diverſis ponderibus diſtinctam: ut ea ſtipendiis militum, & mercimoniis accomodari poſſit. David hic regnavit annis viginti ſeptem extra matris tutelam. Vixit annis quadraginta octo. Princeps fuit animo

miti, & ad clementiam prono, literis adprimé inſtitutus, & arte militari clarus. Corporis ſtatura mediocri colore ſubflato, oculis vivacibus, capillis criſpis & cincinnatis. Ex una uxore liberos ſuſcepit novẽ, quatuor mares, & quinq; fæminas. Primogenitus filiorum occubuit in pugna contra regẽ Selam: in cuius loco regni relictus eſt heres à patre; ſecundus filiorum cognomento Clade⁹: qui difficilibus bellis, pugnavit contra regem Selam, ut fraternam cædem ulciſceretur. Potentiſſimus enim dicitur inter omnes Africæ reges, ut pote qui exercitum inſtruat decies centenorũ millium hominũ. Militat contra Idololatras, & Mauros Mahometanos. David eius pater Trogloditas bello ſuperaverat, rege eorum Caſano captivo, & capite truncato, cuius regnum in meridiẽ protenditur ad Oceanum Mozambicum. Vicit & reginæ Bethſagæ ducem, cuius ditio ad promontorium bonæ ſpei vergit: Regina hæc Davidis Imperium receperat, quod illius dux detrectabat. Manicongrorum quoque regis vires & potentiam attrivit. Et Tormedam Nigritarum Principem ſubegit. Selamq; Mahometanum regem gravibus præliis domuit moleſtantem reges Barnegam & Tigrim ſubditos Davidis. Nam cum Africa ſpeciem △ vel pyramidis præferat, à Nili oſtio uſque ad columnas Herculis mari mediterraneo alluitur: eius latus ſiniſtrum premitur ſinu Erythreo, dextrum Oceano Athlantico, finiuntque latere utraque in promontorium bonæ ſpei. Medium intervallum occupant reges diverſi ab utraque æquinoctialis parte. Inter hos Aethiopum populos Troglodiτæ crudeliſſimi cavernis & ſpeluncis ſubterraneis propter ſolis ardorem habitant: Sunt & Nigritarũ diverſæ nationes, quas alluit Melas fluvius, qui hodie Gambra dicitur. Inter hos præcipui

ſunt

sunt Guinei nigerrimi, qui venustiore sunt vultus & corporis forma quàm cæteri: repandum enim non habent nasum, neque prominentia labra. Hos sequuntur Mantiges colore maturarũ olivarum. Manicongres, Gilopes, & Zapæ tertium servant ordinem & cæteris ignobliores.

Inter omnes Abyssini nobilissimi, humanissimi, & religiosissimi judicantur, quorum potentia longissimè sese pandit & extendit. Eorumque imperium promontorio bonæ spei, & utroque Oceano terminatur quadraginta regnorum præcipuorum numero distinctum. Patriarchã unicum habent, qui rebus sacris præest; & reliquis sacerdotibus dominatur, severissimè castigans eos, qui à religione vel bonis moribus aberrant. Habitat in urbe Barrara loco amœnissimo. Amplissimi sunt illius reditus, quos in alimoniam pauperum elargitur. Celebs perpetuò vivit, quamvis reliquis sacerdotibus uxorem ducere permittatur, sed semel tantum, nunquam reiteratis nuptiis. Abyssino regi subest regnum Gogiani, in quo præruptæ, altæ, & inaccessæ rupes extolluntur, quas Lunæ montes vocãt. Ex his oritur Nilus vallib⁹ difficilibus & occultis, qui Beth dicuntur, hoc est, deserta. Ex Nili fontibus & aliis rivis palus amplissima efficitur nomine Saphè, quæ suis ripis tria regna alluit, nempe Gogian ad meridiem, Beghemede ad ortum, & Dambaies ad occasum. Ex hac palude Nilus præceps fertur per Nigritas, Gogianos, & Amaranos AEthiopas, donec ad Cataractas pervenit, quos Catadupas vocarunt: unde longis & tortuosis Mæandris & voluminibus ad Meroes insulam, quæ Naulebahem dicitur, venit: & inde navigatione quatuordecim dierum Alexandriam, & in mediterraneum mare septem ostiis influit. Nilus ab incolis Abahuis vocatur, hoc est fluminũ pater.

SMYRNA MIHI PATRIA EST: IVDÆA EX GETE PARĒTES
PYRATAM EMENSI ME TVLIT VNDI SALI.




DVM REDVCEM OPTATIS COMPLEXIB' IMPLICO NATVM
ME SVBĪTA EXTINXIT MORS FERA LÆTITIA.



# SINAN COEFVT.



INAN cognomine Cœfut, hoc eſt Iudæus, Smyrnæus archipyrata homo ſingularis prudentiæ & induſtriæ, in re nautica maximè. Is viginti quatuor celocibus & una trireme (quam Gallis ademerat, illique præfecerat Galicolam Corſum, qui & ipſe aliam triremem habuit propriam) mare mediterraneum diu infeſtavit: Et ad littus Libycum appellens ut navigia reficeret, neceſſariisque oneraret, Halicotium pyratam Caramannum illic reperit, cum quo contrahens amicitiam, ſimul tranſegerunt, ut conjunctis navigiis ad Chairadinem tranſirent, qui tunc degebat Algerij. Halicotius quatuor poſſidebat Lyburnicas, & duas triremes, quas paulo ante prope montem Argentatum Neapolitanis ademerat. Concordi igitur navigatione Algerium appellentes à Chairadine benignè ſunt excepti, qui & ipſe Pyratica maximas opes conflaverat, & Algerij regnum occuparet. Acceſſione igitur navigiorum Sinanis & Halicotii claſſem armavit ſexaginta navium: cum quibus ſtatuit Calizium

freti Gaditani Emporium celeberrimum invadere, ut eo expugnato præda locuplete suas augeret fortunas, vtque ad hanc expeditionem se præpararent, Andreas Auria, ex Genua cum classe solvit, ut violẽtiam horum latronum cohiberet: cui se junxerunt aliquot Gallæ naves, feliciquc cursu cũ triginta octo triremibus appulerunt Cercellum, ubi Halicotius in statione continebat sua navigia. Mauri è speculis vela Christiana videntes, existimaverunt Chairadinem adventare: sed cùm propiùs ad littus appulissent naves, tum primùm hostiles agnoverunt copias, & ad pugnam se accinxerũt. Adegerat ad remos Halicotius octingentos captivos Christianos, quibus cúm fidere non esset tutum, in tanto rerum discrimine, eos cellis & carceribus subterraneis inclusit vinctos, navigia quæ in portu erant submersit, ne in hostium venirent potestatem, ipse verò cum Turcis quos secum habebat, se recepit in arcẽ, Mauris imperans ut urbe relicta in eandem arcem cum uxoribus, liberis ac facultatibus, quæ celeriter transportari possent, se conferrent: Alarbæoyum interim vicinorum per nuncios auxilia convocavit. Auria urbem desertam ingressus, quicquid in ea reliquum invenit suorum præda concessit. Christianos captivos, quos carceribus detineri cogvovit, vinculis solvit: Classici interim milites cùm prædæ urbis inhiarent, relictis navibus ad rapinas conversi, invito & reclamante Auria sine ordine per vicos discurrebant, & sarcinis onusti hac & illac vagabantur rerũ suarum securi. Quos cum palantes ex arce conspexisset Halicotius, subitò irruptione facta, nihil tale expectantes, oppressit, & eorum plusquam quadringentos interemit: reliqui qua potuerunt festinatione in naves se receperunt: Auria verò suorum necem indignè ferens, graviter
temeri

temeritatem superstitu m reprehendit, & eorum aliquot severe castigavit: cumque vacuos ordines cum dolore videret, necesse fuit cæsorũ numerum adimplere captivis, qui è vinculis libertati erant, quod munus lubentissimè susceperunt, spe libertatis recuperandæ: quòdque tolerabilius Christianorum servitutẽ passuri viderentur, quàm barbarorum immanem crudelitatem.

Anno 1534. Carolus Cæsar in Africam trajecit, ut Tunetum à violentia Chairadinis liberaret, & Muleassemum regno restitueret. Eius adventu non expectato graviter perterritus est Chairadines; Nunquã enim tam periculosam navigationem suscepturum Imperatorem crediderat: in tantis tamẽ rerum difficultatibus constitutus, ut erat animo forti, & ad meliorem spem elato, non desiit suos ad fortiter resistendum animare: Sinanum suorum ducum consensu militiæ principem elegit, cui summam rerum administrationem concessit. Secundum locum obtinuit Haidines Caramannus, quem Christiani Caiciadiabolo vocabant, propter audaciam, & celeres excursiones hostibus plerumque perniciosissimas. Sequebantur Salec Idonius, & Tabach Laodicensis, & Giaffer Ianizzarus, viri omnes arte militari, & animi invicti promptitudine celeberrimi. Dum igitur Cæsar Goletam obsidet, Saleci impetu cæsus est Comes Sarnensis, eiusq; caput & dextra amputata & hasta affixa ad Chairadinem delata sunt. Paulo post eodẽ successu Tabachus Hispanos graviter afflixit Mendesio occiso: eosq; facilè oppressisset, nisi adventu Caroli repulsi essent Turcæ. Goleta tandẽ expugnata, & Turcis in fugã adactis, Chairadines rerũ desperatione animo fere deficiẽs, quid actur' esset, in tanta suorũ trepidatione non satis perspiciebat classem ad fugã ador-

adornare non poterat: parùm oppidanis fidebat, qui Pyratæ tyrannidem jam dudum aversabantur, & res ad deficiendum opportunas expectabant: Sinanem ad se accersitum superbè & amarè reprehendit, quasi eius culpa esset amissa Goleta: Sed ut erat prudens, tyranni iram qua potuit excusatione demulsit: suorum fugam in fortunam Caroli Imperatoris inexpugnabilem rejecit, & rerum vicissitudinem, quæ in vita hominum inevitabilis est. Chairadines ex ærario Numidis & Turcis stipendia distribuit, eosq; adhortatus est ad res strenuè & animosè gerendas: Sed Cæsar victoria potitus, & in urbem receptus, Pyratas cum Turcis inde exegit. Restabat arx expugnanda, in quo negotio non parum erat difficultatis: In ea detinebantur sexcenti circiter captivi Christiani, quos pręcedenti die Chairadines vinctos & in custodia detentos cremari vivos jusserat: sed ab hac tam impia truculentaque crudelitate revocatus est à Sinane: qui tam immane facinus meticulosi & desperati potiùs animi, quam magnanimitatis inditium præ se ferre ostēdebat: parùm ex eorum morte damni Christianis accessurum, infamem autem notam inde virtuti Principis inuri: clementiam commendari in iis qui rerum potiuntur, & ex ea omnium subditorum animos conciliari, & in officio retineri. Crudelitatem odium secum attrahere, & fere cum infelici exitu ruinam habere conjunctam. His exhortationibus à proposito barbarus abductus est: quod sui etiam detestabātur, & oderant. Et jam conspiratione facta Giaffer Aga Mendelinus Memis duo Chairadinis Eunuchi, captivorū sortē miserati, cúm in urbē domino male succedere intellexissent, Christianos vinculis solverunt: Ii libertate recuperata, impetū fecerunt in Ramadā arcis præfectū, cumq;

inter-

interfecerunt, arreptisque armis in propugnacula conſcēdentes ſignũ dederunt Imperatoriis militibus, vt propius accederent, ſe illis atcem dedituros: ſtatimque apertis portis Alfonſum Guaſtęum admiſerunt. At Chairadines rerum deſperatione actus, fortunæ cedēs, cum Turcis, qui illi ſuperfuerunt, in interiora Numidiæ ſe recepit: in ea fuga Haidines multa ſiti & ſolis æſtu oppreſſus, dum ad Bagradam fluvium perveniſſet, nimio aquæ potu ſeſe ingurgitans periit. Reliqui cum Chairadine, & circiter ſeptingentis Turcis Hipponum pervenerunt, vbi reparata claſſe Algerium navigavit: Sinanes paulo poſt miſſus eſt ad Soleymanem Eunuchum Albanum præfectum Cairi, à quo humaniter exceptus eſt, propterque virtutem, & rei navalis experientiam inter præcipuos militiæ duces receptus. Cumq; ad Luſitanorum navigationes in Indiam impediendas, claſſem iam adornaſſet inſtructiſſimam in portu Arſinoes (quæ Sueſſa nunc vocatur) ad Erythræum ſinum, illi cum imperio præfecit Sinanem: atque in ea expeditione quam Soleymanes ſuſcepit eo tempore viriliter ſe geſſit. Chairadines interim Conſtantinopolim navigans à Solymanno Imperatore miſſus eſt in Galliam duce Polino: ſed cum Nicęa capta nihil admodũ memoriæ dignum gereret ad mare Liguſticum, acceptis à rege Gailo muneribus, ad AEthaliam inſulam (quæ nunc Elba dicitur) ſe recepit: vbi ab Appiano inſulæ domino ſervabatur Aſſam Sinanis filius antea ad Tunetum captus: quod poſtquam reſciviſſet Chairadines, juvenem ab Appiano repetivit: id cum eſſet illi recuſatum, inſulam hoſtiliter deprædatus eſt, abductis in ſervitutem omnibus incolis, & præda in naves vndique importata: miſeranda ſuorum clade & inſulæ totius devaſtatione mo-

tus Appianos, inito cum suis consilio quid gerendum esset deliberavit. Restituendum suis adolescentem omnes satius esse duxerunt, quam propter unum hominem tam multa millia misere abduci & servituti mancipari. Sacerdotes è contra asseverabant. Assanem restitui sine gravi piaculo ac Dei offensa non posse, cum potissimum Christianæ religioni esset initiatus, aqua discedere illum necesse erat, si ad suos rediret. Vicit tamen aliorum sententia, qui publicæ vtilitati benè prospectum cupiebant: Remissus igitur est juvenis ad Chairadinem, quem statim benignè exceptum tribus triremibus præfecit, multisq; donatum muneribus salvum & incolumen paulo post ad Sinanem patrem amicum veterem, & tunc in Arsinoes portu degentem remisit: Is senio iam pressus, cum filium reducem cōspiceret, in illius amplexum cum lacrymis profusus nimia lætitia solutus expiravit: Homo, licet pyrata, summa præditus virtute & generositate: minimè in captivos sævus, quique Chairadinis truculentiam sæpius retardasset, commemoratione sortis humanæ, quæ varia est & inconstans: in hostes interim acer, & in propulsandis adversariorum conatibus vigilantissimus.



SOLEY-

TV RATIBVS NE FIDE TVIS: LIGVR AVRIA VICTOR
INSTAT: ET HISPANI CASTRA RELICTA TENĒT.




PERFIDIAM CVMVLASSE DOLIS EST TVRPE PROBARE
BARBARICVM VIRTꝰ HOC STRATA GEMA NEQVIT.



# SOLEYMANES
## BASSA.



OLEIMANES bassa Albanus origine, homo acerrimi Iudicij, & promptitudinis singularis. Eunuchus fuit, Solymāno Turcarum Imperatori vnicè charus. Is anno 1533. cum Lustibeio & Assambego Alexandrino missus est à Sultano in Peloponnesum, vt Coronem vrbem ab Andrea Auria reciperent occupatam. Classem octoginta triremium agebant: Cumque ad Acrite promontoriū pervenissent, navali conflictu habito duas naves onerarias, quibus Hermosilla Hispanus præerat, occuparunt: Auria verò qui per medios hostes penetraret, cum in discrimen venisse Hermosillam animadverteret, in hostes conversus, subito reditu Lustibeium cum Soleymane in fugā compulit, navesq; interceptas liberat, interfectis plusquā trecentis Turcis, qui iam in transtra irruperāt. Iusuphium simul mille Ianizzarorum præfectum ea pugna cepit, & captivum abduxit: quem tamē paulopost muneribus ornatum ad suos remisit Methonem.

Interim Hieronymus Mendosa præfectus Corones, cum auxiliarem suorum classem agnovisset, vrbe egressus Turcarum castra, ad quorum custodiam pauci erant relicti, irruit, & deprædatus est. Solymannus imperator vt Soleymanis virtutem aliquo compensaret beneficio, illum Cairo præfecit: In qua cum esset præfectura, anno nempe 1538. Nuguas Acugnanus, Orientalis Indiæ prorex factus à Ioanne Lusitanorum rege, Diensem vrbem præcipuum felicis Arabiæ emporium Zambrio regi Cambaiæ ademerat. Is erat Ethnicus & idololatra, Hispanorumque hostis acerrimus: quibus cum non posset resistere, imploravit opem à Soleymane Cairi præfecto: Negotium per se aggredi non audens, rem Solymanno Imperatori per literas communicavit, petivitq; vt quam celeriter fieri posset juberetur agere quod ex re esset Imperatoris: Illi igitur belli grandi cura commissa est: Iamdudum enim Sultanus Solymannus ægerrimè ferebat Lusitanos suscepta per occidentem navigatione penetrare ad Indiam, & illic jam multa loca occupasse, vrbes munivisse præsidiis, arces & propugnacula erexisse, vallis & fossis cinxisse, & ex Orientali India odores, aromata, gemmasque, & preciosiores merces in Hispaniam transferre: quæ omnia distribuebant populis Septentrionalibus, maximo Aegyptiorum & Turcarum damno: qui eadem per Arabicum sinum ex Suessa Cairum, & Alexandriam advehebant, & ingenti cum lucro reliquis Asiæ Europæque populis impartiebantur. Cum igitur Sultanus à Soleymane Cairi præfecto de iis quæ gesta erant certior esset redditus, illi mandavit, vt Classe octoginta triremium bellicis tormentis & reb⁹ omnibus necessariis instructa Zābrio ferret

opem

opem contra Hispanos communes hostes: Imperatoris jussui obtemperans, sub finem Iunij 1538. ventis secundis vectus ad Thorum Madianitarum vrbem non procul ab Orebo & Sina montibus in Arabiæ solitudinibus sitam pervenit, postquam solvisset ex Suesse portu: quo prius terrestri itinere navigia ex Cairo transferri curaverat (distat enim tantum Suessa sive Arsinoe à Memphi octoginta milliaribus) Thoro tandem relicto, Giden Arabiæ Petreæ vrbem venerunt; demum Ademam felicis Arabiæ emporium circa mensem Octobrem attigerunt. Quo cũ appulisset classis Turcica in statione remota à portu substitit: Soleymanes cum reliquis ducibus consiliorum incertis quid acturi essent ignorabant. Rex Ademiorũ delectos ex suis aliquot Satrapas misit ad Turcas, qui ab iis sciscitarentur qua occasione eò navigassent. Soleymanes bassa perbenigne Legatos excipiens, amicum se esse regi Ademiorum dixit; Muneribusque ad eum missis, illi dici jubet ne ab eiusdem religionis cultoribus sibi metueret. sed Musulmannorum classem in portum admitteret, quæ eò venerat comparata ad expellendos Lusitanos cõmunes omniũ hostes. Rex credulus verbis his irretitus ultro portum vt ingrederentur concessit, liberumq; in vrbem ingressum indulsit, vt necessaria coëmerent. Cumque per aliquot dies vltro citroque se invicem inviserent, nihil periculi metuentes, Rex ad convivium invitatus est à Soleymane bassa, cum tribus præcipuis sui regni Satrapis: qui ingressus navim prætoriam lautèque exceptus, post epulas à bassa reprehensus est, quod primus suum officium, & submissionem non obtulisset magno totius mũdi Imperatori, sed superbè tolerasset eius legatum procul à portu tempestatib⁹ & æstui maris expositũ fluctuare

mediis

mediis in vndis. His atq; aliis criminationibus obrutum multaq; excusantem trahi iussit ad malum nauis, Deumque implorantem in vltionem tam barbaræ proditionis ex antenna suspendi jussit, cum tribus illis Satrapis qui cõviuæ vocati erant. Interea plurimi Turcæ milites vrbem ingressi erant, sub prætextu victus cõparandi, qui subitò dato signo portam vrbis, qua ad portum patebat aditus, occupaverunt; & sine difficultate domitis & metu cõsternatis oppidanis, vrbi pręsidium imposuerunt, antequã ab Arabib. vicinis adjuvari possent. Adema capta & annona navibus imposita, navigatione novendecim dierum per Oceanum delati sunt Turcæ ad vrbem Dion sive Denon quam terra marique arctissima cingi jussit, obsidione: oppugnataque est per dies quadraginta, irrito tamen conatu. Nam cum Lusitanorum classem novam adpropinquare audivisset Soleymanes, nocturna fuga se recepit Zebethum, quod fraude intercepit, sicuti paulo ante Ademã ibi octoginta Lusitanos, quos in obsidione Dionis ceperat in turri ab vrbe remota, quam Turcæ dediderant accepta fide, vt vita salva ad suos in vrbem redirent, nihilo tamen minus occupata turri, captivos abduxit, & in littore ad Zebatum immaniter jugulari præcepit. Non leve officium hoc visum est Solymanno Imperatori, qui ob res præclarè domi militiæque gestas, Soleymanem Vezirem, hoc est, Bassarum principẽ creavit, & hac dignitate celebris erat anno 1543. quo tempore capta est Alba Iulia. Ruffum enim Italum (quem Albani cives Legatũ miserant ad Solymannũ pro rebus vrbanis) quantũ potuit, hic Soleymanes Vezir solicitavit, vt relictis Ferdinãdi Austriaci partibus ad Sultanũ transiret, & illi militaret: cum hoc Ruffo colloquebatur per interpretes Italos quos se-

cum

cum habuit, Ioannem Neapolitanum, Vincentiū Venetum, & Hieronymum Faventinum, qui Strigonio capto, ad Turcas transfugerant. Sed cùm non posset Ruffum ad defectionem adducere, honorificè tractatum, donatumque talari veste holoserica purpurea aureis floribus distincta, salvum & incolumen dimisit: obtinuerat & antea honorificas inter suos dignitates, nam superato Tamma Persarum rege Babyloni præfectus fuerat cum Beglerbegi titulo: adjunctis illi triginta duobus Turcarum millibus, quorum præsidio Mesopotamiam & Assyriam conservaret à Persarum incursionibus, si quid in eas provincias aggrederentur, ita honoribus opibusque maximis cumulatus usque ad senium perseveravit Solymanno Imperatori militans: illiusque potentiam & imperium armis & consilio promovens: Mortuus est tandem annos natus septuaginta octo, relictis infinitis opibus, quas multis annis præda populorum debellatorum, & in præfecturis accumulaverat. Hæc omnia post eius obitum in Imperatoris venerunt potestatem, cum mortuo deesset heres ex eius sanguine procreatus.



QVÆ TIBI CVM MOLLI RES EST, POLLVTE CYNÆDO!
CVM CVBET IN THALAMIS REGIA NYMPHA TVIS.




EX HVMILI FORTVNA LOCO TE EVEXIT IN ALTVM
EX ALTO MAIOR SÆPE RVINA VENIT.



# LVTSIS BASSA.



VTSIS BASSA, qui ab aliis Luftibeius nominatur, Thrax fuit origine, natus humili loco, homo audax, & in omnibus rebus perfpicaciffimus, quæ virtutes illum Solymanno Turcarum Imperatori gratiffimum reddiderunt: Illum ideo Vezirazemem, hoc eft, fupremum confiliarium, & principem baffarum conftituit, fecretiusque figillum Sultanicum commifit, quo literæ maioris momenti obfignantur: utque hanc dignitatem arctiori confanguinitatis vinculo fociaret, & illuftriorem redderet, illi fororem fuam defponfavit forma infigni virginem, cui locupletiffimam dotem confignavit, & Sangiacatum Callipolis tribuit; voluitque illum habere focium in omnibus bellicis expeditionibus, ut cōmunicatis omnib⁹ confiliis nihil gereretur fine illi⁹ arbitrio. His auctus dignitatib⁹ & muneribus, in Aula Imperatoria facilè prim⁹ habebatur Lutfis baffa, officia aulica fingulis diftribuebat prout lubebat, & quicunq; ab Imperatore cupiebat aliquid impetrare, five effet peregrin⁹, five dominio Principis fubject⁹, primū ad Lutzī veniendū

 erat,

erat, & muneribus illius gratia erat promerenda. Anno enim 1533. cum esset Thalassiarcha, instructa classe 80. triremium cum Soleymane Eunucho Albano Cairi præfecto, & Assambego (qui Maurus Alexandrinus vocabatur) jussu Solymanni Imperatoris navigavit in Peloponnesum, ad recipiendam Coronem urbem, paulo antea ab Andrea occupatam: quam cùm Hispano præsidio non posset eripere, solvere inde coactus est, non sine suorum clade, & ingenti damno. Sed anno 1538. suasu Troili Pignatelli Neapolitani transfugæ ad Turcas, navales copias quanto potuit apparatu armavit, ut Italiam invaderet, quam facili negotio, nulloque resistente potiturum asserebat transfuga, dummodò repentinis incursionibus littus Calabrum occuparet, præsidiis fere omnibus destitutum. Cum igitur in Calabriam appulisset, Castrum urbem prope Hydruntum diripuit, abductis omnibus incolis in servitutem, cum Gattinara loci domino, qui se illi cum urbe dediderat, data fide, ut vita salva se aliò reciperet: quam cúm non servasset, sed perfidè & immaniter se in captivos gessisset, Solymannus Imperator (qui jam ex Constantinopoli cum pedestribus copiis venerat Aulonam Epiri) Lutzis bassæ actum non probavit, sed Gattinarum liberum remisit: Multum enim oberat dignitati Imperatoriæ hæc suorum perfidia, quæ poterat Italos à barbaris alienare, quos tamē clemētiæ titulo cupiebat ad se allicere, & suæ potestati submittere: Castrensibus igitur fidem servari præcepit, Lutzique bassæ, Chairadini, Saleco, & Tabaco, qui socii erant illius expeditionis, severe injunxit, ut salvos & incolumes remitterent captivos, pro ut pacto deditionis actum erat: Calabris violentia Turcarum miserabiliter agitatis, ut subveniret & opitulare-

tularetur Auria, classe instructa contendit ad insulas Merletes non procul à Corcyra, ubi tredecim hostium triremes submersit: His moti damnis, jussu principis Lutzis bassa cum sociis & Calabria citò revocati sunt, Auriamque tanta virilitate sunt prosecuti, ut illum ferè obruerint. Ille tamen viribus imparem se sentiens, maluit fuga sibi consulere, quàm nimia temeritate sese opponere Turcis, & dubiam fortunæ aleam cum periculo experiri: Celeri igitur receptu ex Leucade discedens, in Siciliam navigavit, Messinamque venit. At Lutzis bassa cum Chairadine & aliis hostiliter Corcyram ingressi, ferro ac flamma insulam depopulati sunt, incolasque omnes captivos abduxerunt, omni ditione crudeliter devastata, præter urbem & duas arces, quæ ne annonæ penuria conficerentur, uxores, liberosque, & omnes ad belli functiones inutiles non sine gravissimo animi dolore portis extruserunt, & hostium potestate permiserunt, ut salvi loca munita possent retinere sub Venetorum domino, visum enim est præstare, partem populi imbecillionem amittere, quàm totius insulæ robur simul perdere. Bello hoc ex animi sententia absoluto, Solymannus Constantinopolim reversus est: Interim Lutzibassæ irreconciliabile odium cum uxore contigit, quod illum à Principis amicitia plurimùm divertit. Cùm enim in amorem masculum esset proclivior, & libidinibus variis pollueretur uxore neglecta, ab ea non sine causa abalienatus est: potissimùm quòd juvenem singularis formæ domi aleret, cuius consuetudine uteretur assiduò: Mulier quæ jam antea viri conditionem abjectam ægrè tolerabat, superbior redditu quòd Imperatoria esset soror, & ex hoc matrimonio nobilitatum esse maritum non ignoraret, hac

turpitudine & contemptu irritata, illum amaré reprehendit, acerbissimis verbis illi exprobans, se illi matrimonio junctam, ut propter maritum cubaret, non cynædus, indignum illum esse consanguinitate regia, & abuti ea autoritate & potentia, quam ad illum singulari clementia & beneficio transtulerat frater Solymannus, non ut eam ingratitudine, perfidia, & turpibus exerceret libidinibus. Hac exprobatione ad iram provocatus Lutzis, uxori colaphum infregit, & tanquam stolidam, & importunam in conclave se recipere coëgit. Illa quæ se Imperatorio stemmate ortam sentiret; hominemque nullius nobilitatis gloria fultum ferre non posset fastu turgentem, & à quo indignè, & per contumeliam tractaretur, ad Solymānum fratrem plorabunda se contulit, Lutzimque maritum accusavit, petivitque ut divortio facto separaretur à thalamo polluti hominis, & tantis nuptiis indigni. Imperator hanc contumeliam non ferens, Lutzim omni dignitate & autoritate exutum, ablatoque sigillo Imperatorio, in privatum ordinem redegit: parumque abfuit quin hominem morti adiudicaret, memor tamen illius intimæ amicitiæ, qua illum antea fuerat prosecutus, amorumque secretiorum qui illis intercesserant, vita illi conservata hominem relegavit in Macedoniam: ubi reliquum vitæ spatium sine ullo publico munere exegit.



HOR-

LESBIA PYRATAM MITYLENE PROTVLIT, ATQVE
INGEMVIT SCEPTRIS AFRICA PRESSA TVIS.




DIGNVS ERAS MAVRI CAPERETQVEM REGIA IVBÆ,
TVRPE TAMEN LÆSA HANC OBTINVISSE FIDE.



# HORVCCIVS BARBAROSSA.



ORVCCIVS, cognomento Barbaroſſa, natus Mitylenis vrbe Lesbi patre Græco, ſed qui abdicata religione Chriſtiana, ad Muſulmannicam defecerat. Is moriẽs filios duos reliquit Horruccium natu maiorem, & Chairadinem juniorem: qui facultatum & patrimonij tenuitatem, cum animis eſſent excelſis, non ferentes, ad maiora aſpirabant. Occupata igitur Liburnica, ſtatuerunt pyraticam exercere, & prædis rem domeſticam augere: omnem ſuæ fortunæ ſpem maritimis excurſionibus ſtatuentes. Primò igitur ad Kamalem archipyratam ſui temporis famoſiſſimum ſe contulerunt, vt ſub eo latrocinantes aliquid corraderent: ſub cuius ductu locum ſtatim honorificum inter pyratas adepti ſunt, propter ſingularem audaciam, ac vigilantiam in rebus gerendis: maximè Horuccius natu maior; qui ſtatim ingenti præda mancipiorum, & navigiorum cum eſſet ditatus, ad ſocietatem alios pyratas accivit Haidinum Smyrnæum ( quem propter temerariam audaciam

 noſtri

nostri Cacciadiabolum vocitabant) Sinanum Iudæum, Salecum, & alios. His auctus sociis, eorumque navigiis factus potentior, prædabundus pervenit in Mauritaniam: quo tempore Selymes Arabs rex Iuliæ Cæsareæ (quam Algerium vocamus) de regni possessione cum fratre dissidebat. Hic Alarbæos equites stipendio conducens magnas vires contra Mechemetem fratrem conflabat: qui pyratarum adventu opportuno lætus, eos in amicitiam suam muneribus allèxit: ingentiq; precio soluto, tam Horuccio, quã cęteris, eos induxit & persuasit, vt sui defensionem susciperent, & regni paterni conservationem. Suam itaque salutem constituens Selymes in Turcarum manibus, qui iam cœperant esse terrori & formidini Afris oram maritimam incolentibus, fraternas vires non admodum metuebat. Negotium hoc tam feliciter prosecutus est Horuccius, potissimum auxilio Sclopetariorum militum, quorũ ignivoma tormenta Numidæ ac Mauri formidabant, paucis diebus effecit, vt Alarbæis Numidis repulsis victor evaserit, Selymemque regno tranquillo restituerit: Sed cum illum animo mitiori perspiceret, nec satis cautum, speravit fore vt dolo circunventum de medio tolleret: erat enim Horuccius ingenio, perspicaci & ambitioso, & qui iam antea ad regni titulos aspirare cœperat: Cum autem Mauros rei militaris non admodum peritos animadverteret, leves, inconstantes, mutuas; ac perpetuas inter se inimicitias exercere: Numidas Alarbæos vagabundos, ingenio nobili, fide venali, rerum omniũ egentes, & inter se discordes, quiq; pecunia in amicitiam adduci, vel armis cogi possent. His occasionib⁹ facilè sibi persuasit fieri posse, vt à fide pacta cum Selyme discedẽs Algeriũ occuparet. Quod paulo post contigit, nam

Selyme,

Selyme, qui fraudem Latronis non metuebat, in balneo perfidè ac crudeliter cæso, rex ab omnibus declaratus est: illiusque electionem adprobarunt Algerienses, conspirationi potentiorum non audentes sese opponere. Occupato Cæsariensi regno vt viciniam adjungeret, & suæ potestati assereret, Cercennam coloniam (quæ Cercello dicitur) sexaginta milliaribus ab Algerio distantem, fraude intercepit, missis eò militibus, qui sub speciem mercimoniorum & viciniæ, vrbis dominum inde expulerunt. Augebatur indies eius potentia, novæque vires ad eum confluebant, facilèque primus in tota ora maritima videbatur, & Afris omnibus terrori. Neq; eo contentus, cum Chairadine fratre mediterranea simul, & loca maritima continuis excursionibus, & prædationibus sine intermissione infestabat, nihil intactum relinquens, quod vi aperta, vel dolis posset intercipi. Vtq; regni fines latius extenderet, Bugeam suæ ditioni adiecit, exactis inde Hispanis, qui vrbem emporio celebri claram scholisq; Musulmannicæ doctrinæ, & habitatione sacerdotum sacram occupaverant. Conflictu cum iis habito Horuccius superior evasit: sed tormenti manuarij globo vulneratus dextram manum amisit. Animo tamen non defecit, sed Chirurgorũ opẽ medicatus, convalescentiæ brevi restitutus est: manusq; amputatæ loco aliam ferream adaptavit, qua feliciter postea multis in congressibus cum hoste vsus est. Nam prope Algerium Hispanos iterum fudit cum eorum duce Diego de Vara. Pauloque post Hugonem de Moncada redeũtem ex Italia cum veteranorum legionibus, naufragioque elapsum cum omnibus suis ad internecionem fere cecidit, & qui elapsi sunt, captivos, ad triremes adegit. Tanto rerum successu elatus, tentandam fortunam vlterius

rius existimavit expedire: Regem Tremissenorum, quod esset imperatori Carolo V. fœdere & amicitia junctus, invasit, & aliquot præliis superatum tandem regno detrusit, & eius ditionem suo dominio adiecit. Sed vt rerum omnium variæ sunt vicissitudines, Prædoni semper non fuit successus felix, fortunæ inconstantem experto favorem. Cum enim Oram & Portum magnum loca munita, Hispanorumque præsidiis firmata tentaret occupare, à Christianis & Mauris equitibus primo repulsus est, postea cum maiore militum numero reversus in hostes, audacius pugnæ insistēs ab Hispanis superat⁹ est, maxima; suorū cæde, plurimisq; captivis, & servituti mācipatis. Horuccius verò cum paucis familiaribus in fugam se dedit, à qua retractus celeritate hostium, qui illum insequebantur, supplicio affectus est: Caput eius lancea affixum per omnes Hispaniæ maritimas oras deportatum est, & publicè ostentatum, tanto omnium gaudio & lætitia, vt morte immanissimi pyratæ salus omniū restaurata quiesque publica restituta crederetur: cuius crudelitate & latrociniis non solum Africa, sed etiam Hispania multis antea annis cædibus frequentibus, & depopulationibus vexata fuerat & oppressa, abductis in servitutem incolis, eversis vrbibus, & tota regione divitiis facultatibusque spoliata: quæ omnia mala sublato autore videbantur tandem sopiri posse & emendari.



CHA-

LITTORA TE HESPERIÆ TIMVERE VTRIVSQ. LYBESQ.
OPPRESSI DEXTRA SVCCVBVERE TVA.




NV̄QVAM TE LYPARE, CORCYRAVE DILIGET, HARVM
CVM SIS IMMERITOS DEPOPVLATVS AGROS.



# CHAIRADINES BARBAROSSA.



HAIRADINES mortuo Horuccio fratri successit, cognominis Barbarossæ, regni, faculcatumq; heres relictus. Is singulari felicitate postea se gessit in bellis contra Numidas Alarbeos, quorum regulos Hametem & Benchiadem prope vrbem Coco superavit: Amidam ex Tremissena regione in mediterranea loca se recipere coëgit: Moncadam Hispanum graviter saucium in fugam vertit: Portundum cum filio, & eorum classe confecit: Quotidianis recentibusque victoriis, ac prædis frequentibus au ctus, navigiis maximè Siculis, Neapolitanis, ac Venetis interceptis; repulsoque à Cercenna Andrea Auria, & submersis prope Plumbinum duabus Genuensium navibus onerariis, cum omnibus esset terrori, tam in Africa quam in Hispania, & Italia, à Solymanno Turcarum Imperatore Constantinopolim vocatus est, & in eius amicitiam receptus magnas obtinuit dignitates, egregiamque Turcico Principi navavit operam; potissimum in recuperan-

da Corone, patris, & Dardanellis arcibus, quæ prope Naupactum Corinthiacum sinum claudunt. quæ omnia in Christianorum potestatem devenerant Himeralis culpa. Et iam dicebatur Auria cum classe ex Sicilia adventare, vt obsessis Coronẽsib⁹ opem ferret. Missus est igitur ad Chairadinem Sivan portitorum aulæ Imperatoriæ præfectus, cum Mangale Rhodio Pyrata, qui illum ad Solymannum venire juberet. Chairadines nullam moram differens, regnũ novum cum Assano filio vix dũ annis octodecim nato cõmisit sub tutela Ramadæ Celebini patruelis, & Agij amici intimi, de quorum fide neutiquã dubitabat: & cum Legatis Turcicis per Tyrrhenum pelagus navigãs Genuensem classem, quæ in Siciliã tendebat, conflictu difficili superavit: in quo Delisuf pyrata homo acerrimus cæsus est. Inde ad Elbã insulam veniens, Rhiũ vrbem nocturnis occupatã insidiis prædatus est, abductisq; omnib⁹ oppidanis
1533. cum ingenti præda Constanti. appulit anno 1533.

Illum Solymannus Imperator perhumaniter excepit, & ad summas dignitates promovit, non sine aulicorum & Bassarum invidia: qui ægrè ferebant pyratæ, nato humili loco, parentibusque obscuris, tantum autoritatis tribui. Cumque de statu Africæ, ac de inferendo Christianis bello sępius multa cõtulisset in medium in præsentia Solymanni, qui eius promptitudine & facundia mirificè delectabatur, eius consilium adprobatum est: missusq; ad Abrahimũ bassam, qui eo tempore sũmum locum obtinebat inter Satrapas Turcicos, degebatq; Alepi vrbe Cõmagenæ, vt cum eo conferret de tantis rebus, quas Solymãno communicaverat. Abrahimus bassa cum Chairadine collocut⁹, quemq; iam antea diligebat propter virtutẽ bellicam, illum cum literis remisit Cõstanti. quib⁹ Imperatori

perator, commendabatur: Hac igitur commendatione redditus charior Principi, ab eo in numero Bassarum adscriptus est, & Thalassiarcha creatus. Ex Africa secum Chairadines abduxerat. Roscetem Muleassemi Tunetani regis fratrem, ut apud Solymannum conqueretur de injuria fraterna: qui cæsis aut expulsis fratribus, regnum per vim usurpabat. Maris igitur adeptus imperium anno 1534. Solymanni Satraparumque reliquorum communi consensu Bassa quartus creatus est cum Abrahimo, Biace, & Casino solenni pompa in armamentarium, præeuntibus suæ dignitatis insignibus, perductus est: & ex ærario octies centena millia ducatorum illi commissa sunt ad bellum in Africa gerendum, cum octingentis Ianizzaris, & classe octoginta triremium: Cum qua ex Hellesponto solvens, in Italiam cursum instituit. Eò cùm venisset Tempsam urbem Calabriæ (quæ S. Lucidio nunc vocatur) incēdit & diripuit. Prochytā cepit. Neapolitanis summo metu consternatis; præteritaque Caieta speluncam urbem occupatam deprædatus est. Fundos quoque & Terracinam pari clade affecit. Festinabat enim in Africam ut Muleassemum incautum opprimeret eius adventum minimè expectantem. Ex Ponza igitur insula solvens Bisertum venit; illum oppidani ultro exceperunt, existimantes eum eo esse Roscetem: nam eius reditum summopere exoptabant, pertæsi tyrannidis Muleassimi: Biserto solvens Tunetum venit: suoque adventu cives ad seditionem movit: qui tumultu in urbe facto, diffugiente rege, Chairadinem exceperunt: Post regis abitum Abezes Granata Præfectus arcis, & Fetuches Arrago, qui tunc Manifeti magistratum gerebat, defecerunt ad Chairadinem. Abezes uxorem & liberos Roscetis, quos captivos

detinebat Muleaſſemus, liberavit, eosque cum theſauris regiis tradidit Chairadini, cum quo rediiſſe credebat Roſcetem: Sed cùm eum Conſtantinopoli relictum intellexiſſent, ſeditione facta in Turcas irruerunt, & non expectata clade oppreſſerunt. Compulſique in arcem cùm eſſent, non ſine ingenti metu, Halis Levani Granatæ, qui ad Mahometicam deſecerat religionem, conſilio, hortatuque Agi, & Moſis, qui paulò antè vinculis ſoluti erant, quibusque ſe junxit ſocium Naidinus Smyrnæus. Hi omnes impetu facto in urbem irruunt, civiumque maxima ſtrage perpetrata ſuperiores evadunt, Muleaſſemo in fugam compulſo, qui in urbem revocatus erat. Victor factus Chairadines, creato magiſtratu novo, & urbe pacata, Numidas vicinos per legatos miſſis muneribus ad amicitiam invitavit, & reliquas urbes maritimas in ſuam poteſtatem redegit. Eodem anno 1534. Cæſar Carolus V. ſtatuit Tunetum armis recuperare. Inſtructa igitur claſſe in Africam trajecit, cum copiis Hiſpanicis & Siculis, quas Alfonſus Guaſteus in Sardiniam jam adduxerat, expectans Imperatorem: Hi ſimul conjunctis viribus felici navigatione Vticam appulerunt: Vnde ad Goletã poſtquam perveniſſent, ingenti metu perculſus eſt Chairadines, qui nunquam exiſtimaverat fore, ut Cæſar mari ſe committeret. Sed tamen, ut animo erat indomito, præcipuos ſui exercitus duces hortatus eſt, ut Caroli Cæſaris impetum fortiter ſuſtinerent. Chriſtianorum autem magna violentia oppugnata eſt, & capta Goleta: ex qua Chairadines, Sinanus Cœfut, Salecus, Tabacus, & Haidinus cum Giaffare expulſi in urbem confugerunt. Cumque de rebus gerendis inter ſe conſultarent, duo Chairadinis Liberti Franciſcus Medelinus Hiſpanus, dictus Giafferagas, &

gas, &

gas, & Vincentius Catharensis, dictus Memis, captivos Christianos (qui in arce Byrsa vinculis servabantur) solverunt, & libertati restituerunt. Hi circiter sexcenti, facto impetu, occiso Ramada Celebino arcis præfecto, armisque ex armamentario raptis, arcem occuparunt, & Cæsarianis ducibus tradiderunt. Chairadines rerum desperatione actus, cum septem Turcarum millibus urbe fugiens, ad Bragadam fluvium (quem Mauri Magiordech appellant) contendit: ubi Haidinus Smyrnæus insatiabili pressus siti, ex flumine avidiùs bibens, ruptis iliis mortuus est. Reliqui cum Chairadine pervenerunt Hipponum, ubi in statione tutissima reliquerant priùs quatuordecim triremes. Cæsar Carolus hostis fuga intellecta cum victore exercitu, Muleassemo comitante, qui paulo antè in Imperatoria castra se receperat, ad urbis portas venit. Tum cives cum magistratu processeruntobviam victori, veniam deprecantes, ac rogantes ne urbem prædæ militum permitteret: quod lubenter fecisset, si suorum aviditatem potuisset cohibere: Muleassemo in regnum restituto, Cæsar Palermum, deinde Messenam trajecit, ac postea Neapolim. Romamque triumphali pompa ingressus est 5. aprilis 1537. Paulo III. Pontificatum tenente: At Chairadines navibus resarcitis, Algerium rediit, quòd audiret Auriam adventare cum navalibus copiis: quibus Hipponum occupatum mœnibus nudavit, arcemque, ubi Alvarus Gomet sese interfecerat, evertit. Eodem anno Solymannus in Christianos arma moturus, Lutzi bassæ & Chairadini præcepit, ut Italiam terra marique opprimerent: Hi Calabriam ingressi Castrum urbem non procul ab Hydrunto deprædati sunt: potuissentque tota Calabria potiri, nisi ab incœpto fuissent disturbati, Alexandri

Contareni adventu, & Andreæ Auriæ, qui ad insulas Merletes Turcicam classem afflixerunt, tredecim triremibus hostilibus submersis: sed & ij repulsi sunt à Chairadinis navalibus copiis: à quibus pressus Auria ad Lazinium promontorium Calabriæ (quod Capo delle colonnæ dicitur) compulsus est, deinde Messenam Siciliæ se recepit. Chairadines verò Corcyram hostiliter ingressus, totam Insulam ita depopulatus est, ut præter urbem, & duas arces munitissimas in scopulis inaccessibilibus sitas, nihil integri reliquerat: Tanta hominum multitudo inde abducta est Constantinopolim, ut singuli vænirent duobus tribusve Sultaninis: Buthrotum deinde cepit, & evertit. Annoque sequenti 1538. cum classe centum & triginta navigiorum in Cretam trajecit, frustraque obsessa Cydonia, quæ Canea nunc dicitur, & Rithimno, quæ est hodie Retimo, similique eventu oppugnato Cytheo, quod Candiam vocamus, metu classis Venetæ, quam adpropinquare intellexerat, Cretam relinquens secessit in Ambracium sinum, qui golfo di Larta nominatur. Illum insecuti sunt Auria, Capellius, & Grittus, cum ducentis & quinquaginta navibus; sed tempestatibus acti, simulque hostium violentia repulsi, in Corcyram cursum vertere coacti sunt 27. Sept. anni 1538. Neq; multo post Castrũ novũ urbem munitã in sinu Rizonico (qui golfo di Catharo vocatur) Turcis ademerũt. Ad quam recuperandã Chairadines cum Vlamabego Persa, Bosnæ & Illyrio, Sãgiaco missus est: Ille cum Draguthe & Corseco pyratis maritima expeditione, hic terrestri cum triginta Turcarũ millibus quos alij Sangiaci agebãt, & innumera multitudine montanorum Haidonũ, Vsurcharum, Marzellorũ, Cimeriorum, & Morlacharum: Hi omnes magna vi terra

marique

marique oppugnantes Castrum novum receperunt, interfectis ex majori parte veteranis omnibus Hispanis, aut in servitutem abactis. Anno 1541. Remissus est Chairadines cum navalibus copiis in Auriam, qui Clupeam, Neapolim, Adrumentum, Ruspinam, Tapsumque Turcis ademerat, & reliquas urbes Africæ, sola Lepti excepta, quam nostri Africam, Mauri Mahomediam vocant. Eodem anno Carolus V. Romanorum Imperator collectis undique militibus in Africam navigavit, ut Algerium à tyrannide pyratarum liberaret. Vrbi validissimæ præerat Asan Agas natione Sardous: In hac Expeditione Carolo cesserunt omnia infelicissimè. Amissa enim majore sui exercitus parte, totaq; annona, & plusquam centum & quadraginta navibus, quæ horrendo naufragio perierunt: id quod à Propheta quodam mago suscitatum fuisse Mauri asserunt, cuius adhuc sepulchrum prope urbem religiosè colitur: Rebus igitur pessimè succedentibus Cæsar in Hispaniam reverti coactus est cum suorum reliquiis, anno eodem circa finem Septembris.

Anno 1543. Chairadines cum classe centum & decem triremium Massiliam missus est à Solymanno: Dux huius expeditionis fuit Polinus, quem Rex Galliæ Constantinopolim miserat ad concitandum Turcam contra Carolum Imperatorem. In hac navigatione occupavit Rhegium, urbem sitam ad fretum Siculum: Vnde prope Terracinam, Ostiam, marimamque oram Hetruriæ littus legens Massiliam appulit. Nicæam cepit, quæ Gallico dominio adjuncta est, arce tamen non expugnata: Dumque Tolone morā duceret, Assano Celebo viginti quinque triremes commisit, quibus oras maritimas Hispaniæ depopularetur. Is statim dimisso sinu Narbonensi, Cade- 1543.

chesium caput Illiberis, & Rhodam cepit, & deprædatus est: unde trajecit Algerium, ut illic prædam deponeret, & hibernaret. Chairadines interea navigia reparabat, triremesque novis restaurabat auxiliis, ope Genuensium adjutus; potissimum Andreæ Auriæ: qui licet Imperatoris partes tueretur, ne patriæ non opportuna pertinacitate noceret, hostem quibus poterat officiis juvabat, conferebatque quicquid putabat necessarium, tam ad annonam, quàm ad reficiendas naves. Polino enim infensus esse cœperat, quòd eius persuasione ac ductu in Galliam navigarat: cùmque eò venisset nihil parati, nihil ad bellum gerendum invenisset necessarium, imo in Nicæa obsidione, cum tormentarium pulverem & globos à Chairadine petivisset, ad quatiendos muros, illum amarè & iracundè reprehendit Chairadines, ac socordiæ negligentiæque supinæ accusavit, quòd tam malè providisset rebus bellicis, auderetque exigere à peregrino ea, quæ abunde debuerant omnibus suppeditari à Gallis, propter quos ex Græcia longo itinerum tractu & labore, classem cum milite adduxerat: parumque abfuit quin hominem captum, & ignominiosè tractatum, ad triremes vinctum adigeret. Cúm igitur se ad Ligusticum littus sine magno fructu detineri videret, parùmque animadverteret expectantum emolumenti à Gallis, moræ ignavæ pertæsus, acceptis à rege muneribus, Maurisque & Turcis captivis, qui ad triremes erant redacti, ad Elbam insulam navigavit: ubi Sinanis Iudæi filium ad Tunetum antea captum, & ab Appiano Elbæ domino detentum recepit. Elba relicta, Hetruriam ingressus Telamonem, & Monteanum diripuit, & incendit, abductis omnibus in servitutem. Eadem calamitate Portum Herculis affecit: ubi nihil inta-
ctum

ctum reliquit, quod ad miseros incolas inclementissimè vexandos faceret. Sed cùm ad Orbitellum obsidendum se pararet (quod in lacu Prilino situm est) Cosmus Medices Florentinorum dux, ut rebus suæ Hetruriæ consuleret, jam collegerat militem quanta potuit festinatione, quem commisit curæ Ioannis Lunæi, & Chiappini Vitellii, qui homines erant strenui & vigilantes: Vterque cum auxiliaribus copiis maturè se hosti opponentes, illũ ab Orbitelli diverterunt obsidione. Sua spe frustratus Turca ad Ziglium insulam milliaribus duodecim à Portu Herculis distantem petivit, urbem cepit & diripuit, omnemque multitudinem cuiusvis sexus & conditionis abduxit. Tanoem præteriens Pyrgæum promontorium (quod Capo Linaro vocatur) rectà venit ad Ischiam insulam è regione Neapolis sitam, quam abactis omnibus incolis, vastatisque & incensis oppidis Forino, Pausa, & Varano, totam ditionem in solitudinem redegit: Vrbem tamen Ischiam munitam, & ab hominibus validis defensam, non potuit expugnare. Quare inde solvens, & Prochytem linquens, in Baianum sinum classem deduxit, ut duce Saleco pyrata Puteolos invaderet: & urbem depopularetur: Sed Petrus Toletanus regni Neapolitani prorex, ut imminenti periculo tempestivè provideret, citissimè ex omnibus oppidis vicinis copias coëgerat: quas in hostem ducens illum Baiis solvere & discedere adegit: Barbarus qui ex professo Neapolitanos aggressus non erat, sed tantum in reditu quicquid ad prædam videbatur faciendam invadebat, Constantinopolimque properabat, Capreæ littus relinquens, præteritoque Atheneo promontorio (quod dicitur hodie Capo Cãpanello) dum Salernum occupare conatur, orta subitò tempestate non

te non ſine periculo in Calabriam eſt compulſus: ubi Careato urbe direpta & devaſtata, in Liparem inſulam trajecit: quam miſerrimè afflixit, devaſtata regione, & vrbe everſa ſeptem millia Liparenſium abduxit captiva: Conſtantinopolimque ingenti præda, & infinitis captivis ditatus pervenit anno domini 1544. Vbi à Solymāno imperatore exceptus eſt honorificè & laudatus ab omnibus, propter res terra marique egregiè adminiſtratas.
1547. Anno autem 1547. è vivis deceſſit rerum geſtarum gloria, & annis plenus: ſepultusque eo in loco qui Beſictas vocatur: eſt enim ad Boſphorum Thracium in Europa ſitus, verſus os Euxini Ponti, ubi Chriſtiana mancipia diſtrahi ſolita ſunt: nam ibidem paucis antè annis plusquam ſedecim Corcyrenſium millia divendita fuerant à Chairadine: qui ut locum hunc nobilitaret, & ſuæ deſtinaret ſepulturæ, ibidem Meſſitam novam ſuo ſumptu condidit: locus hodie vocatur à Græcis Diplokionion antiquis erat Lahonium.



MVLE-

SIDONIA QVODAM CARTHAGINE REGNA TENEBAS,
AVSTRIACAM PVLSVS QVI PETIS EXVL OPEM.




RESTITVIT REGNVM FRVSTRA TIBI CAROL', EX QVO
TVRPITER A NATIS EIICIERE TVIS.



# MVLEASSES.



VLEASSES, vel Muleassemus, qui Mule Assam, hoc est Rex Assam Mauris dicitur, longa generis serie descendit ex gente Chorresis, ex qua olim natus est Homar, cognatus & discipulus Mahometis Prophetæ Arabis: cuius traditiones cum Haly, Honane & Elubekire collegit, & in Alcoranum siue Alforcanum simul redegit. Reges verò Tunetani per nongentos quinquaginta & quatuor annos vsque ad Muleassemum sine interruptione dominationis, aut alterius sanguinis admixtione, potentes regnauerunt. Qui quia in doctrina & traditionibus huius Homaris constantissime perseverarunt, vocati sunt à Mauris, & Alarbæis Nomadibus Emir Mumeni, hoc est, Principes Orthodoxi, & benè de religione, quam Mahometes suis sectatoribus servandam reliquit, sentientes. Ideo reliqui Africam abiis, tanquam à sacris Pontificibus, religionis ceremonias discere soliti sunt. Et vrbs Carvenna sacerdotum Musulmannorum habitatione sancta tribus à Tuneto diebus distat: in qua Tunetani, Mauri, & Alarbæi

Principes propter loci ſanctimoniam ſepeliuntur: creduntq; illic ſepultorum animas exquiſitioribus ceremoniis expiari, Deoq; reddi acceptiores. Muleaſſes natus eſt patre Mahomete, & matre Lentigeſia Alarbæi Principis filia. Eius pater iam ſenex, poſtquam regnaſſet annis triginta duobus, morti proximus ſceptrum traditurus erat Maimoni filio natu maximo: Sed Lentigeſia filium adhortata eſt vt regiam dignitatem maturè invaderet; qui ſtatim fratrem Maimonem ex alia natum matre in vincula coniectum, tanquam tyrannidis affectatæ reum trucidavit: Roſcetes natu ſecundus Muleaſſem metuens, fuga ſibi conſuluit: Reliqui Mahometis filii ex diverſis vxoribus geniti numero viginti, à Muleaſſe inhumaniter perempti ſunt: Ex his Barcha, Beleth, & Saëth ferro candenti ſunt excæcati. Biduo poſt Solax Alarbæus Laſellum & Abramum filios regios adhuc impuberes, Bragadæ fluvii longis imbribus tumefacti vadum tentantes cepit, precioque Muleaſſi fratri vendidit jugulandos. Roſcetes & Abdemelech ſoli crudelitatem regis evadentes, ad Morhabitum Alarbeorum Principem confugerunt: quos cum per ſicarios perſequeretur Muleaſſes, ad vrbem Biſcari in mediterranea Numidiæ ſe receperunt, vbi Abdemelech, vt vitam tutaretur, & ſe periculis imminentibus eximeret, religioni initiatus eſt, & ſacerdos factus. Sed Roſcetes ſub cuſtodia & amicitia Abdalę Principis Biſcarienſis diu ſervatus eſt, & eius gener factus. Muleaſſes interim regno potitus, fratrum filios, ne quid poſtea in eum molirentur, è vita ſuſtulit: Manifetum & Meſuarum (magiſtratus præcipui poſt regiam maieſtatem ſunt nomina) patris defuncti amicos familiares, & quorum ope Maimo-

nem

nem occiderat, eorum veritus autoritatem, longis cruciatibus excarnificatos interemit. Novercas quoque occidi jussit: quas dicebat Patri libidinibus diffluenti multos filios regni vnius competitores generasse. At Roscetes collecto exercitu, traiectoq; Bragada, ad vrbem Bacciã vnius diei à Tuneto itinere distantem venit, vbi conflictu habito cum fraternis copiis victor evasit, compulsis in vrbem Tunetanis. Is suorum civium fidei incertæ non satis fidens, cum eos hac victoria non moveri animadverteret, neque alacres ad ferendum regi auxilium concurrere, sed tyrannum Muleassem fovere, vt in illum odia civium concitaret hortos & oliveta Tuneto adjacentia succidit, & devastavit: Et cum hac ratione parum quoque proficeret, neque Tunetanos moveret vt illum regno restituerent Algerium se contulit ad Chairadinem, suadente id Vlethe Alarbæo, cuius filiam sibi junxerat vxorem secundam. Chairadines juuenem Principem humaniter excepit, cui omne officium amicitiæ promisit: Illum tamen paulo post Constantinopolim abduxit, vt apud Solymannum conquereretur de fratris immanitate, & auxilium ab Imperatore posceret, quo posset regno paterno restitui. Sed Chairadines Bisertum navigans (quod triginta tantum milliaribus ab Vtica distat ( à Bisertinis vltro admissus est, qui credebant cum eo esse Roscetem. Inde Tunetum petivit: cuius adventu cives non mediocriter exhilarati sunt, qui regis crudelem tyrannidem cœperant execrari: existimabant & Tunetani Roscetem advenisse cum Chairadine. Muleasses inconstantis plebis favore parum fidens, Abdaharis Mesvari consilio fugit Tuneto. Post cuius discessum Abezes & Futuches vrbem & arcem

Chairadini cum thesauris regiis tradiderunt : Sed iidem cum cognovissent Roscetem Constantinopolim missum, seditione facta in Turcas irruunt, & non expectata clade oppressos extrudunt, revocata Muleasse: qui non procul ab vrbe, cum vxore, & Dorace hærebat in hortis Restabianis. Regis reditu ferociores redditi Tunetani, Chairadinem, qui se in arcem receperat obsident, & inde deturbare conantur non satis fidētem loco incognito, paucaque annona munito. Is verò Halys Levani Hispani, Mosisque, & Agii (qui vinculis liberati erant) & Haidini Smyrnæi consilio, subito impetu vrbem ingressus, plusquam tria civium millia interfecit, reliquam multitudinem in fugam vertit. Muleasses magna difficultate evadens, ad Bragadam fugit; quo traiecto ad Cyrtham vrbem Numidiæ se recepit. Victor Chairadines vrbe pacata, creatoque novo magistratu, Alarbæos vicinos in amicitiam compellavit: paucisq; diebus omnes vrbes tam maritimas, quam mediterraneas in suam potestatem redegit.

1534. Anno domini 1534. Carolus Cæsar vt Tunetum è manu barbarorum pyratarum eriperet, instructa classe cum Andrea Auria Barcelona solvens, ad portum Mahonis Balearis insulæ transfretavit, inde Cogliarum Sardiniæ : vbi invenit Alfonsum Guastæum cum navibus Siculis : Felicique navigatione simul appulerunt Vticam: pauloque post totam oram maritimam, quæ dicitur Martia, vbi Carthago vetus sita erat, nunc sunt horti regij, occupavit. Eius adventu non expectato perculsus est non mediocrirer Chairadines : Quod hostium classem septingentis fere constaret navigiis, inter quæ erant octo-

octoginta duæ triremes armis,&bellicis machinis instructissimæ. Statuit tamen Caroli impetum fortiter sustinere,& quanta vi posset,depellere : Inter eius duces primum locum obtinebant Sinan Cœsut Smyrnæus, Haidimis Caramannus, Salec Idonius, Tabach Laodicensis omnes pyratæ, & Giaffer ex ordine Ianizzarorum. Postquam Imperator cum suis in continentem descendisset, castraque opportunè esset metatus,Mauri in munitiones continuò incursantes nostros graviter vexabāt, Comite Sarnensi & Belinghero cæsis à Saleco. Postera die Tabach,occiso Mendesio duce Hispano,superatisque aggeribus,Imperatorios plurimos occidit, victorque sine damno suos in vrbem reduxit. Triduo autem post Giaffar à nostris cæsus est, & eius Ianizzari in fugam versi:Arxque Goletana maxima tormentorum violentia, & fragore deiecta est, & occupata. Sinan cum suis celeriter se recipientes evasit. Muleasses interim cum aliquot equitibus ex interiore Numidia venerat in castra Caroli:quem de statu vrbis Tunetanæ, deque civium moribus exactissimè edocuit. Conflictu habito Christiani superiores evaserunt, Turcis cum Chairadine Tunetum compulsis : Qui cum de rebus gerendis inter se anxij consultarent, Christiani captivi, qui in arce detinebantur, vinculis soluti, portas Guastæo aperuerunt. Chairadines rerum afflictarum desperatione actus, cum septem Turcarum millibus, qui illi supererant, fuga elapsus Hipponum se recepit (quod Bona nunc dicitur) vbi in statione quatuordecim triremes antea reliquerat. Carolus Imperator cum exercitu victore ad vrbem contendens, à civibus & magistratu summo honore & gratulatione exceptus est,& in arcem admissus : Milites

ab

ab vrbis præda impediri non potuerunt, licet Muleasses pro facultatibus suorum civium sæpius precatus esset Cæsarem: Thesauri regis, & aliquot ducatorum millia, quæ Chairadines in cisternam coniecerat, inditio captivorum Guasteo cesserunt: jactura hæc regem maximè commovit: quodque annales & historias suorum maiorum perditas audiret, quibus res gestæ suæ gentis continebantur: quod prædonum pedibus odores preciosi, & sacci pleni cocco & purpura conculcarentur: imo vnam suarum vxorum captivam & viri opem implorantem cum lacrymabili eiulatu vili precio redemit: Expulso igitur Chairadine, & Muleasse in regnum restituto, Carolus Cæsar Palermum Siciliæ, inde Messenam, deinde Neapolim navigavit, vbi Bacchanaliorum tempore Margaretam Austriacam filiam suam nuptui dedit Alexan-
1536. dro Medicæo: postea 5. Aprilis anni 1536. Romam triumphans ingressus est, Paulo III. Farnesio pontificatum tenente.

Anno 1541. Chairadines cum classe in Africa rediit, vt inde exigeret Andream Auriam, qui Clupeam, Neapolim, Adrumentum, Rusponam, Tapsumque Mauris ademerat; totaque ditione, excepta Lepti (quæ Mahomedia Mauris, nostris verò Africa dicitur) statim potitus est. Eius adventu perterritus Muleasses spe regni retinendi
1543. amissa, anno 1543.

In Siciliam venit, deinde in Italiam: vt cum Carolo Imperatore, qui Genuam venerat, colloqueretur, & ageret cum eo de extrudendis Tuneto Turcis: Discedens autem Amidam filium regno præfecit, & suo exercitui: Mahometemque Temtem, qui eo tempore Manifetis magistratu fungebatur, custodiæ Leptis constituit. Absente

ſente patre Amidas ſtatim Tunetum cum arce occupavit; concubinas & uxores paternas inceſtu polluit,eiusque amicos & magiſtratus de medio ſuſtulit. Hæc filii rebellio miſerum patrem movit,ut collecto in Italia milite (cui Loſredus præfectus eſt) Goletam trajiceret, Amidæ refręnaturus audaciam:qui ad rebellandum patri incitabatur ſuaſu Mahometis Bohamaris filii, quem ſingulari iniuria & contumelia Muleaſſes affecerat. Bohamar enim duxerat uxorem Rhahamanem Abderomenis filiam, inſigni pulchritudine præditam, quam audenter deperibat Muleaſſes. Hoc matrimonio irritatus rex, Bohamarum caſtravit, & ignominioſè cum filio tractavit: Huic malo acceſſit, quod rex Mechemetem Adulzi filiū hominem prudentiſſimum, & cuius opera multis in rebus prius uſus fuerat, per contemptum cognominare ſolebat ſuorum ſeruorum peſſimum: Hi duo ut acceptas iniurias ulciſcerentur. Muleaſſem non deſinebant in populi odium adducere: quod ut faciliùs facerent,famam ubique ſparſerunt illum à Muſulmannorum religione defeciſſe,&Neapoli Chriſtianam fuiſſe amplexum:poſtea ignominioſè & cum contemptu apud peregrinos mortuum. Hoc rumore primò motus Amidas ſolium regium occupavit, ne forté Muchemetes eius frater, obſes Goletanis Hiſpanis traditus, illi præferretur. Sed Manifetis autoritate repulſus, ad hortos Martios extra urbem ſeceſſit: pauloque poſt in urbem rediens, occiſo Fare arcis præfecto, Manifeteque cum tota familia extincto, in famulos regios, omnesque ſuæ factionis adverſarios immaniter ſævit. Muleaſſes jam venerat Goletam, qui nulla mora dilata cum Lofredo Italo, & Tovarre Hiſpano Goletæ præfecto urbem invadit:Ea pugna rex in fronte graviter

O o ſaucius,

ſaucius, vix ſe inde extricavit; Lofredus in paludes præceps ſuffocatus eſt cum Carolo Tocco natione Græco, & aliis plurimis; qui barbarorũ furore cõfecti ſunt. Tandem captus eſt Muleaſſes cum Nahaſare, & Abdalaſo filiis, quos ex alia uxore ſuſceperat. Hos ſimul ferro candenti excæcari juſſit: Renovatoque cum Goletanis fœdere, Tovari dedit obſidem filium ſuum Schitum. Nihilo tamen minus Tovarres Abdamelechum Muleaſſis fratrem ex Numidia è domo Anemſchis Alarbæi revocavit: qui ſtatim velo capiti obducto Mauritano more, in urbem & arcem ab omnibus eſt admiſſus, qui credebant eſſe Amidam tunc abſentem. Abdemelechus regno potitus paulo poſt ingraveſcente ætate, & morbo, è vita deceſſit, relicto Mahomete ſucceſſore filio, qui tunc vix decimum ætatis annum attigerat: quique videbatur impar tanto oneri, propter pueritiam & rerum inexperientiam. Eius nomine regnum adminiſtrabat Abdaleges Temtis Manifetis frater, & Abdelchirinus Meſnarus, autoritate & potentia inter Tunetanos excellentiſſimi uterque, & cum iis Scyriffus Bugeates Maurus, in lege Mahometana peritiſſimus, primumque locum in ea gente obtinens, propter prudentiam, juſticiæ ſtudium, & vitæ ſanctimoniam. Cum iis junctus erat Ioannes Parellus Tarentinus, ex Rabatinorum equitum ordine, homo promptus & magnanimus. Paulo tamen poſt interfecto Abdelchirino, reliqui tres, qui pueri non poterant ferre imperium, triumviratum inter ſe inſtituerunt, & dominationem rerum omnium partiti ſunt. In hoc officio crudeliter & avarè ſe geſſerunt, & jam intolerabiles omnibus videbantur; Interea huc & illuc Amidas apud amicos vagabundus errabat, eorum opem implorans: Sed Muleaſſes à juniore

rege

rege (qui patrui gener factus erat Meluca consobrina uxore ducta) sub specie religionis è carcere liberatus, Goletam perductus est. Hoc matrimonio irritati Tunetani Amidam in urbem revocarunt: Mahometes rex junior fuga sibi consuluit. Amidas Perellum captum genitalibus abscissis vivum cremari jussit, quòd insolenter in regium gynecæum irrumpens, uxoribus & concubinis Amidæ stuprum intulerat Abdalegem & quadraginta ex ordine Rabatinorum trucidari jussit, & eorum corpora canibus devoranda proponi. Muleasses autem qui Goletam fugerat, Tovaris avariciam detestatus, in Italiam devectus Romam venit.



VT TIBI NOBILITAS A POENO SANGVINE VENIT,
CONVENIENS TYRIO STEMMATE PECTVS HABES.




FIDVS ALARBÆO DEFENDIS ACINACE REGEM!
PYRATA HOC LAVDAT LESBIVS OFFICIVM.



# DORAX ALAR- BAEVS.



ORAX, cognomento Abusaidas, Alarbæus Princeps, Lentigesiæ matris Muleassis frater fuit; homo singulari prudentia & arte militari clarus. Fidus Muleassi comes in omnibus bellorum expeditionibus. Lentigesia enim eius soror mulier animo virili, cum Mahometem maritum propensiorem videret in Maimonem filium natu maiorem inter viginti duos fratres, qui ex diversis uxoribus regi nati erant, regium diadema filio procurans privignum apud patrem traducebat, tanquam tyrannidem affectantem. Cuius instinctu irritatus Mahometes Maimonem custodiæ tradi iussit: captivumque mortuo patre in vinculis detentum Muleasses jugulavit, & regnum occupavit, interfectis reliquis fratribus, Rosecte & Abdamelecho ad Numidas fugientibus. Dorax interim sororis favore summus regiæ militiæ magister factus est, & in Meschinem Alarbæum Principem arma movit, ut ulcisceretur inju-

rias, quas ab eo acceperāt vivente adhuc Mahomete, cujus hic Meſchinus erat amicus intimus, plurimumque apud regem autoritate valebat. Mortuo autem rege ſeniore, & regnum occupante Muleaſſe, Meſchinus viribus impar, Doracisque potentiam metuens fuga ſibi maturè conſuluit: collectoque exercitu ex omni Alarbæorum ditione adjunxit ſe Roſceti Muleaſſis fratri; qui Biſcaro accerſitus cum Vlethe, Iacupo, & Morhabithe junctis copiis ad Bechiam urbem diei unius ſpatio à Tuneto diſſitam caſtra metati ſunt.

Horum adventu cum Muleaſſes graviſſimè perculſus eſſet, metum tamen ſuum diſſimulans Amidæ filii interim nuptias in urbe ſummo apparatu celebravit, diſtributis populo cibariis & donis, reliquisque Alarbæorum nobilibus, maximè pyratis Turcicis, cum quibus antea fœdus inierat, hac conditione, ut quinta prædæ pars regio fiſco cederet: Hac ratione in portum Tunetanum ſecurè degebant: & in eo erant frequentes, nuptiarum Amidæ tempore: quæ celebri pompa & ſolennitate fiebant. Roſcetes paucis antè diebus, trajecto Bragada Vlethis filiam duxerat uxorem, isque cum ſocero & Meſchino cæteriſque cum exercitu ad urbem veniens, regionem totam depopulabatur, ferro & incendiis omnia devaſtans. In illum miſſus eſt Dorax cum Solace, Africanorum numeroſo peditatu, & cum circiter ſeptem Alarbæorum equitum millibus: cum quibus erant duo fratres Bencanones viri illuſtres & generoſi inter Africanos. Alarbæum equitatum agebat Chairadines, regi amicitia junctus. His additi erant aliquot equites Chriſtiani nomine Rabatini, qui cuſtodiæ regis præerant. Conflictu igitur habito, ſuperiores evaſerunt Meſchiniani fuſis Tunetanis;

qui

qui in fugam effusi celeriter in urbem se receperunt. Roscetes victor conabatur civium factione in urbem irrumpere: quorum hortos & oliveta incenderat hoc consilio, ut illos irritaret in Muleassem; cuius odio tanta damna perpessi essent. Sed cum cives non videret moveri Vlethi soceri suasu ad Chairadinem, qui Algerium redierat, se recepit, illius opem implorans: Barbarus Pyrata licet juniorem Principem comiter exciperet, illum tamen Constantinopolim duci jussit: Bisertumque celeriter navigans, ab oppidanis ultro admissus est, existimantibus cum eo esse Roscetem: Biserto Tunetum properavit, parique astu cives delusit, Muleassis avaritiam pertæsos qui jam urbe cesserat, non audens fidei civium se committere. Sed cúm Tunetani Roscetem abesse cognovissent, facti pœnitentes, regem ad se revocarunt, qui cum Dorace & uxoribus non procul ab urbe in Restabianos hortos secesserat. Reditu regis Tunetani animosiores redditi, magno conamine ad arma concurrunt, impressioneque facta Turcas telis opprimunt, qui jam in arcem excepti erant ab Abaze Granata & Fetuche Arragone, eadem impostura delusit. Pœnituerat quidem eos facti, sed culpa remedium serum non admisit, Pyrata tyranno munita loca thesaurosque regios occupante.

In hoc rerum turbatarum discrimine licet agitaretur Chairadines, animum tamen resumens, cum sociis Haidino, Mose, Agio, & aliis in urbem irruit, civesque vagabundos & tumultuantes repressit, & strage maxima plebis, patrata reliquos metu perculsos intra dominorum privatos parietes compulit. Rex Muleasses cum Dorace, reliquisque fidelibus amicis, ne fortunæ dubium eventum experiretur summa cum dfficultate evasit ex urbe:

urbe:trajectoque Bragada,ad Cyrtham Numidiæ interioris urbem fugit:unde postea multis laboribus perpessus, rediit Tunetum Carolo V.Romanorum Imperatore,qui in Africam venerat, Galetam obsidente: cum Dorax varia usus fortuna, sororio continuis afflicto calamitatibus, tandem ab Amida regno & oculis privato, ipse quoque annis jam gravatus è vita decessit.



CLE,

P p

QVÆ PREMERES THALAMOS DORACIS LECTA, CLEONE, ES
DEBETVR FORMÆ GRATIA TANTA TVÆ.




DVM DONIS HOMINVM MORTEM MERCARIS ET AVRO
MASSYLA NATAM TE ARGVIT ESSE LEA.



# CLEONE ABVSAI- DAE VXOR.



LEONE, quæ & Calyne vocabatur, Alarbæa natione Doracis uxor, mulier ſanguinis Chriſtiani appetentiſſima: cùm enim religionis Mahometicæ ſuperſtitioſe ſtudioſa eſſet, quicquid illi doctrinæ adverſabatur oderat perditè: Cumque Muleaſſes ab imperatore Carolo Tunetano reſtitutus eſſet regno, ut pro tanto beneficio gratus eſſe videretur, ſuis liberum reliquit Chriſtum colere: Chriſtianosquè in ſuam ditionem venire, commercia habere, & habitare permiſit. In tanta tamen rerum perturbatione, & variis mutationibus, quæ miſeræ urbi Tunetanæ evenerunt quandiu vi-

xit Muleaſſes, dubia ſæpe fortuna pugnatum eſt tam cum Turcis, quàm cum peregrinis. Cleone verò ad Alarbæos conſanguineos bellis æſtuantibus ſe recipiens, clade Chriſtianorum delectata, cum militibus paciſcebatur, ut pro ſingulis occiſorum capitibus ducatos duos penderet: cuius feritatem licet ſæpe reprehenderet Dorax maritus, non potuit tamen mulieris animum immitem placabiliorem, vel humaniorem reddere. Vivebat enim cum Alarbæis ſequentibus partes Roſcetis: ideo omnia Muleaſſis & Doracis conſilia improbabat, qui ad Chriſtianorum auxilia confugiebant, qui Muſulmannicam religionem ſtudebant ſubvertere.

Cùm de Alarbæis ſuperiùs facta ſit ſæpe mentio: proderit ſcire qui ſint, quæque eorum extiterit origo prima. Alarbæi enim ſunt Numidæ & Nomades Africæ populi; Inter omnes eius regionis ſeſe jactitant nobiliſſimos, ut pote qui à Poenis ſe genus ducere aſſerant: neque eorum gens ulli peregrino populo admixta fuerit, vitam liberam ducunt,

ducunt, bello & armis vacantes: & ut plurimúm præda viventes. Prædia per servos Æthiapas colunt. Hieme se recipiunt ad limites Æthiopiæ propter aëris temperiem: æstate redeunt ad loca maritima, ut in alienas messes vixdum benè maturas involent. Pauci ex iis literas discunt, exceptis sacerdotibus, qui plebi instituendæ præfecti sunt. Neque se curiosis, aut exquisitioribus dedunt superstitionibus, sicut Mauri vicini; quos tamen fidelitate, integritate vitæ, & bellica virtute superant. Religionem simplicem retinent: Deum brevibus venerantur precibus: Sobrii sunt admodum in victu ordinario: Dactylis, ficibus, pulmentis, acidoque lacte vescentes. Et si genio lautius indulgere velint, & opipare convivia instituere, ut in celebritate nuptiarum, in sacris feriis, & amicorum tractatione, esculenta venatu, & aucupio quibus maximè delectantur, & animum recreare solent, liberaliùs præparant. Non desinunt hilariori consuetudine inter se vivere, se invisere, & quæ possident amicis communicare. Eorum patrimonium fere con-

ſtat equo generoſo & celeri, quem precio coëmunt maximo; & in eo tractando & curando multum adhibent ſolicitudinis. Supellectilem domeſticam vilem & exiguam poſſident, ad neceſſitatem potiùs quàm ad ornatum accommodatam. Seminudi fere incedunt, de veſtimentis ſumptuoſioribus parùm ſoliciti:licet & matronæ nobiles non careant mundo muliebri gemmis & veſtibus ſericis verſicoloribus. Eorum uxores equos tractant, maritis ſervili more obtemperantes. Villoſis pellibus amiciuntur. Et involucris velorum capita tegunt, quæ ſub mentum reducta ſpiris comprehendunt tortilibus.Horum ditio in mediterranea protenditur, ſubjecta diverſis principibus à Nilo uſque ad Oceanum Athlanticum. Hi quamvis domicilia habeant incerta, eorum tamen fines certis terminantur limitibus. Tunetanorum dominatus longè cæteris potentior eſt & amplior, ad oras mediterranei maris protractus usque ad arenas Æthiopiæ; ad quem pertinebat olim Bugea & Tripolis. Feſſani verò Mauritaniæ Tingitanæ,

tanæ, & Salæ fluvii acco læ triginta equitum millibus ſuum regnum tutantur contra Luſitanorum impetum. Reliquæ juris dictiones minoribus Satrapis parent, qui Secchi ſua lingua vocatur.



THREICIIS VEXAT TE ARDENS BELLONA MANIPLIS:
MARTE ANIMO; HOSTIBꝰ EST PAENA PARATA TVIS.




VT TIBI NOXIVS EST VLAMAS, SIC PRODITOR HELCAS
TV CONSANGVINEVM LÆDERE PARCE GENꝰ.

# TAMMAS SO-PHI.



AMMAS SOPHI, ſive Techmaſes Scachi Iſmaëlis Perſæ filius fuit. Moriens enim Iſmael quatuor reliquit heredes filios Tammam, Helcam, Becram, & Somitzam. Helcas occupavit Aſſyriam, Babylonem cum Meſopotamia. Becran poſſedit Albanos Hiberos, Medos, & regiones vicinas mari Caſpio. Somitzas verò Parthos & Hircanos, qui dicuntur Coraxei. Tammæ natu maiori evenerunt Perſia, Armenia, & provinciç quæ vſque ad Oceanum Indicum protenduntur: Populique harum provinciarum Perſico imperio ſubiectarum, licet varium ſint, vno tamen nomine omnes vocantur Agiameſi. Vt igitur patriorum regnorum, ſic & religionis heres factus eſt Tammas. Quæ res movit Solymannum Imperatorem Turcarum, per ſe ad exterorum regnorum affectionem pronum, vt illi bellum moveret; idque ſuaſu Abrahimi baſſæ, qui prima erat in autoritate apud Principem. Chriſtianis enim vt clanculum favebat, Imperatorem aſſiduo hortabatur, vt relictis Pannonibus, arma traſferret in Orientem contra Perſas, novam religionem & diverſas ceremonias ſequentes, magno Muſulmannicæ doctrinæ ſcandalo. Adiuvit non mediocriter hanc expeditionem Vlamas begus Perſa Princeps, qui

 ad Tur-

ad Turcas defecerat. Post cuius è Perside decessum Tammas Sophi VVanum eius ditionem, cũ vxore & liberis in suam potestatem redegit. Et hinc prima belli occasio suum habuit initium. Cum enim Vlamas Constant. venisset, illi liberaliter excepto Imperator centum millia Sultaninorũ in annuo reditu donavit, cum Sangiacatu locuplete prope Charahemidam, illique negotium cõmisit belli gerendi contra Persas cum Abrahimo bassa: qui ingentib⁹ collectis vndequaq; copiis, in Asiam ex Thracia properarunt. Alepum postquam venissent, inde in Chara hemidã, Abrahimus præmisit cum parte exercitus Vlamã qui Tebrisium Persarum regiam si fieri posset occuparet. Vrbem tenebat Musa Sultanus, Tammæ affinis & cognatus, qui Turcarũ adventu perterritus, Tebrisio aufugit: eius fuga per cives delatores nunciata, Vlamas vrbem in deditionem recepit: Statimq; literis ad Abrahimum datis, illum reddidit certiorẽ de rerum felici successu: illũque monuit vt nulla mora dilata, Persidem cum reliquis copiis ingrederetur. Id statim Bassa fecit Tebrisiumq; ingressus eo sine difficultate potitus est, reliquasq; vrbes vicinas suo imperio adiecit. Solymannum interim per expeditissimos cursores monet, vt eò veniret, neque rem feliciter cœptam mora non opportuna desereret. Imperator hoc eventu prospero lætus, quanto potuit exercitu ex Europa & Asia collecto, traiecit Iconium vrbẽ Lycaonię, vnde per Cæsaream pervenit ad Malathiam vrbem, & ad Euphratem fluvium: Quo superato, quinquaginta quatuor stationib⁹, postquam à Nizza Bithyniæ solvit, pervenit ad Coin Armeniæ maioris vrbẽ, quæ olim dicebatur Artaxata. Tunc temporis Scachus Tammas bello detinebatur contra Kesiem bassam Chitainũ Chanem, qui illi

Cora-

Corasanem regionẽ Persiæ interioris eripere conabatur. Vnde noluit reverti, vt Turcis se opponeret, donec adpropinquarent frigora, & hibernæ tempestates, quas sciebat Turcis fore intolerabiles, in Carahemidam iam adpulerat Solymannus Imperator cum tantis copiis, & secũ totam fere Europam & Asiam agere videretur. Is postquam diligenti indagatione explorasset vbi essent Persæ in eos selectissimum quemque militem expedivit, qui hosti negotium facesseret, donec ipse cum toto venisset exercitu. Vtq; essent expeditiores, tormenta bellica ahenea, machinasq; cum præsidio trecentorum Ianizzarorum & trium Sangiacorum Tebrisium misit, hostemque Persam, qua potuit celeritate persecutus est. Hæsit aliquandiu Solymãnus Tigranocertæ (quæ hodie Sultania dicitur) vbi propter amœnitatem loci expectare statuit, donec Scachus Tãmas è montanis Albanis & Hiberis, vbi morabatur, descẽderet. Dumq; illic degeret, illius exercitus ad Hemedanem pervenerat: ubi pluviis assiduis, frigore, & tempestatibus vsq; adeo vexati sunt Turcæ, vt bona pars militũ cum equis & jumentis diriguerint, & mortui sint. Atque in traiectu fluvij Doci Gesid imbribus tumidi, cum sarcinis & impedimentis perierint. Huic malo accessit & rerum omnium penuria. Tammas enim vndiq; annonã avexerat aut corruperat, ne hosti vsui esse posset. Quod nisi Armenij aliqui precio ingenti Turcis necessaria vendidissent, omnis eorum multitudo fame & frigore fuisset extincta. Constitutos igitur in his difficultatibus Turcas animadvertens Tammas, cum decem suorum millibus è Corasane regione Tebrisium contendit, vbi plusquam triginta Turcarum millia sub tribus ducibus moram faciebant, sub Vlama, Sirvanogli, & Iadigiare be-

ego,quorum quisque decem millibus equitum præfectus erat. Hi Tebrisio egressi, ut hosti occurrerent venienti, nescio quo metu perciti in fugam se dederunt, antequam cum hoste congrederentur. Tammas urbem suam ingressus, quamque hostes sex fere mensibus tenuerant, arcem ab Abrahimo bassa paulò antè structam à fundamentis, evertit,& solo adæquavit. Trecēta & quinquaginta ænea tormenta illic relicta comminuit, & ex iis Māgurios æreos nummos conflavit. Solymannus,qui ad Sultaniam hęrebat omnium rerum difficultate pressus, cum nusquam apparerēt hostes,vt hiemis sævitiam vitaret, iam se Bagadatim,quæ est Babylon,cōtulerat,vt illic aëris tēperie tolerabiliori frueretur, & loci vbertate suos reficeret.Babyloni præerat Satrapas Muchemetes Persa natione,eo missus à Tāma post Becranis fratris obitum,qui eam vrbem obtinuerat defectione Helcæ. Muchemetē oderātBabylonii propter avariciam & tyrannidē.Quem cū ad defectionem solicitaret Vlamas,& cum eo collocuturus copias ad mœnia adduxisset,inopinantē oppressit,coëgitq; Bitilisiū vrbem Mesopotamiæ fugere. Cives enim Solymani potestati sese vltro submiserunt,apertisq; portis Turcas in vrbē admiserunt,quorum eeemplum statim secutæ sunt reliquę vrbes Assyriorum, cum vidissent Babylonios clementer tractari: hæc contigerunt anno domini 1535.

His ex animi sententia feliciter peractis, Solymannus in Thraciam reversus est: vnde anno sequenti Abrahimi & Vlamæ consilio in Persidem rediit,quod nunciatum esset Tammam venisse Tebrisium,& inde fugisse Satrapas quorum custodiæ commissa vrbs fuerat. Turcarū adventum non ausus est expectare Scachus, sed corrupta vel avecta annona, rebusque omnibus necessariis, abdu-

ctisq;

ctisque oppidanis cum omnibus facultatibus, ſe in Coraxeorum Hircanorum montes iterum recepit. Solymannus Tebriſium nullo repugnante ingreſſus, Iadigiarem begum Eminem ſuſpendi juſſit, cuius culpa factum erat vt reliqui fugerent ante pugnam cum hoſte conſertam: Cumque ad prælium non poſſent adduci Perſæ neq; perſequentes Turcæ eos poſſent aſſequi fugientes per ſcopuloſos & inacceſſos montes, omnique annona vacuos regione funditus devaſtata, Solymannus graviter irritatus, quod tantis regionum itineribus cum ſummo ſumptu & laboribus ſuperatis eò veniſſet, vt à Perſis ludificaretur fuga ſe ſubtrahentibus, Tebriſium regreſſus, cives, qui reliqui erant ſuppliciter veniam deprecantes miſerrimè tractavit, eorumque bona militibus diripienda permiſit. Scachi Tammæ regumque Perſarum regias, amœnaque palatia incendit, cum hortis & domo Iacupis Sultani Vſum caſanis filij, quam Heſtebehiſte vocabant. Primoresque cives coëgit Conſtantinopolim migrare. Hæc cum egeſſit, neque vſquam appareret hoſtis, exercitum in Carahemidam reduxit: & ſub æquinoctium æſtivum in Meſopotamiā ſe recepit, non tamē ſine magna difficultate. Nam equites Hiberi continuis velitationibus Turcas infeſtabant, & vexabant: quorum impetum vix ſuſtinebant Aegyptij, & Syriæ præfecti cum Vlamabego locorum licet perito, & cui primæ partes in ſuſtinendis hoſtibus cōmiſſæ erant. Tammas autem cum magno Coraxeorum numero Tebriſium redierat, exiſtimans illic eſſe relictum præſidium, quod vt āno ſuperiore, facilè poſſet opprimi. Sed cum omnes cum Solymanno Imperatore vidiſſet abiiſſe, vrbem incendiis & ruinis fœdatum, regionem facultatibus omnibus ſpoliatam, tantam tamq; deploran-

dam rerum faciam, & locorum devastationem iniquissimè ferens, Agathyrsum Delimannum Satrapam hominem vigilantissimum & audacissimum expedivit, cum Corizzorum quinq; millibus equitibus selectissimis, qui Turcas properatis itineribus insequeretur. Is per compendia locorum festinans, prope Bethilisium ad Antitaurum vrbem sitam in eos incurrit, cum profusissimi de coelo imbres ruerent, neque quicquam ab hostibus formidarent Turcæ, ex improviso oppressi sunt plusquam duodecim millia: quod contigit Octobris 1536.

Cumque accepta damna damnis paribus compensata videret Tammas, cum victore exercitu domum rediit vixitque felicissime vsque ad annum 1575. quo annis rerumque gestarum gloria clarus è vita decessit.





VT GEINMIS, MVLTOQVE NITES SPECTABILIS AVRO,
FORMÆ MAIESTAS EST SOCIATA TVAE,




FIDA VIRVM GETICIS VEXATVM TECHMASI ARMIS
PROSEQVERIS STVDIIS ET PIETATE PARI,





# CORASI TAMMÆ VXOR.



ORASI, ſive vt alij volunt Martha, Tammæ Scachi vxor, matrona illuſtri Perſarum nobilitate orta, mulier forma ſingulari, moribusque regiis ornata: animo inſuper prædita virili: vtpote quæ in omnibus fere expeditionibus marito ſemper fida comes adhæſerit, officiis juverit, conſolationibus opportunis illius animum leniens & in ſpem meliorem extollens, quotiescunque illum deiici aut frangi animadverteret, propter tam atrocia damna à Turcis illata, Perſidis devaſtationem, vrbium incendia, & ruinas: quæ omnia bonum Principem mirum in modum angebant, & cruciabant.

Virum tamen ſua præſentia ſuſtentabat regina neque patiebatur illum vel for-

midine fluctuare, vel ira percelli: cum ea omnia evenire iusta Dei providentia doceret: quæ licet acerbissima essent, toleranda tamē viro magnanimo monebat. Propterea quod is vini tyranni oppressoris propulsaret, & patriam religionem fortiter tutaretur. Eius ornamenta, mundusque muliebris fere omnis deperiit cum Palatium Iacupis Scachi everteret Solymānus, & hortos amœnos regis succideret.



VLA-

MAGNA TVA EST VIRTVS; TVRPI TAMĒ OBSITA NÆVO,
DVM PATRIÆ FERRIS PRODITIONE REVS.




INDIGNE TOLERAS CHADÆI VINCLA SATRAPÆ:
PERFER, ERVNT TANDEM MITIA FATA TIBI.

# VLAMAS BE-GVS.



LAMAS BEGVS, qui & Zilamas, & Vlamannus ab aliis dicitur, vir Perſa primæ nobilitatis: homo acerrimi & promptiſſimi animi. Is cum res inſignes geſſiſſet pro patriæ conſervatione, Techmaſis Scachi benevolentiam promeritus, eius ſororem duxit vxorem, & VVanum ditionem amœniſſimam & fertiliſſimam in Media beneficii loco obtinuit, quam feudi nomine obtinebat. Cumque rei malè adminiſtratæ, & raptorum coram rege ſuo ageretur, veritus punitionem, ab eo defecit, & ſe ad Turcas conferre ſtatuit. Cuius rei certior per literas factus Solymannus Imperator, nuncium miſit ad Serefem begum Curdiſtanum Principem (cuius ditio Babyloni vicina erat & Carahemidæ, quæ vocatur Diarbekir, olim Chaldæa) is iubebatur vt Vlamæbego comitatum & militem daret, cum quo ſecure & tutò ad Sultanũ Conſtantinopolim venire poſſet. Vlamas igitur VVano diſcedens Bethiliſiũ, quod quatuor dierum itinere diſtabat, & vbi Serefesbegus habitabat, ſe contulit. Hoſpitem Perſã Chaldęus primo excepit vultu benigno, illique ſuum officium & fidem in omnib⁹ obtulit: ſed cum illũ haberet in ſua poteſtate, illũ inhumaniter corripi juſſit, & vinctum cito ad Solymannum miſit, qui perfidiam & improbitatem

Serefis vehementer doluit & indignè tulit. Vinclisque Vlamam solvi præcepit clementerq; dextra porrecta illum consolatus est, & iniuriæ acceptæ vltorē se fore promisit simulq; donis ingentibus, & preciosis donatum vestimentis familiariter compellavit, & cum eo de statu rerum Persicarum contulit, & quid Tammas ageret, quæ illius opes, vires, et potentia esset diligenter expiscatus est, de quibus omnibus accuratissimè Imperatorem Vlamas edocuit. Subiectionisq; & fidelitatis pręstito juramento, se suamq; operam Solymanno in posterū promisit: Cui vt gratus videretur Imperator, de suo stipendium cētum Sultaninorum millium quotannis legavit: beneficiiq; loco delegavit illi Sangiacatum non procul à Carahemida. Vt eò se recipiens, patriæ vicinus esset & Persas, cum opus foret, bello infestaret. Mandatumque illi dedit ad omnes suæ ditionis Sangiacos vicinos, vt quotiescunq; in Persas arma moturus esset, illum in omnib' necessariis promptissimè juuarent. Postquā igitur tam liberaliter ab Imperatore exceptus in suum Sangiacatum venisset, Solymanno ita jubente, Serefesbegum perduellionis reum proscripsit, & Bithilisium timarii loco accepit, exacto inde Serefe. Hæc prima causa exarsit belli inter duos potētissimos Principes, Vlama Turcarum partes sequente, & Serefe ad Persas transfuga. Pluribus itaque præliis inter vtrumque commissis, fusus est tandem Serefes, captusque ab Vlama, & vita privatus: eiusq; caput ab humeris recissum ad Solymannum missum est: eiusq; ditio in Vlamæ potestatem devoluta. His gestis legatos ad Tammā Scachum expedivit, qui ab eo repeterent vxorē & liberos, quos post patris defectionē rex ad se accersiverat, & detinebat, redactis eius bonis ad fiscum. Tammas

ne iam

ne iam priùs irritatum magis offenderet, & bellorum causas daret ad eum quos petebat sine difficultate remisit anno 1533.

Paulo post Solymannus Abrahimum bassam Alepum cum exercitu contendere jussit, vt adiuvante Vlama, & eius consilio de rebus gerendis agerent. Quò postquam venisset, ad illum Serefisbegi vxor & liberi supplices se contulerunt laqueos cervicibus gestantes, & veniam criminum parentis cum lacrymis deprecantes. Abrahimus bassa vt erat animo ad clementiam proclivi, supplicum miseratus, eos non durius excepit: sed de eorũ negotio ad Solymannum rescripsit, rogans quid de iis acturus esset. Respondit Imperator non reiiciendos perduellis liberos, qui culpæ parentis non erant participes: iussitq; vt quadraginta Ianizzari darētur filio Serefis mortui, qui illum cum matre Bithilisium comitarentur, & inde thesauros omnes paternos ausportarent, quòq; postea vellent proficiscerētur: nullum se illis habitationis locũ pręscribere, præter eum quem ipsi voluntariè delegissent. Quod si Turcarũ partes sequi vellent, se illis donare Alepum honorarij muneris nomine: Sed juuenis Bithilisio ausportatis thesauris patriis, cum matre & sororibus in Persidem se recepit ad Scachum Tammam. Abrahimus bassa paulopost præmisit Vlamam cōtra hostem, qui dux itineris esset, jubente hoc Solymanno: Ipse verò illũ cum reliquo exercitu subsecutus est. Vlamas nullo resistente Tebrisium occupavit, Tamma absente & bellum gerēte contra Chitainũ Chanem. De occupata vrbe literas statim per citissimum cursorem ad Abrahimum expedivit Vlamas, qui eo contendit cũ reliqua parte exercitus. Rerumq; potit⁹, arcem Tebrisij cœpit extruere, & machinis

bellicis

bellicis aheneis, omniq; telorum genere munire. Solymannus cum in Perside res benè geri intellexisset, suadente Abrahimo ipse quoq; cum numeroso venit exercitu. Tebrisiumq; postquam esset ingressus, & vrbem ex maiori parte civib⁹ vacuam, Tammam foris occupatum bellis ad pugnam nō posse provocari, adpropinquare hiemem immitib⁹ frigoribus intolerabilem: quibusq; iam sui pars exercitus fuerat extincta, contulit se in Assyriam mitioris aëris causa: & ad hiberna suum militem duxit Babylonē: vnde postea Tebrisium reversus est, quo venisse Tāmam audiverat: Sed ad eius advētum Persa in montanas regiones cum suis regressus est, devastatis omnibus rebus, quæ hosti poterant esse vtiles. Defectu igitur necessariorum pressus Turca, iterum in Assyriam remeavit: in cuius reditu cum parti extremæ exercitus, quæ Dundar vocatur, præfectus esset, Vlamas begus cum aliis aliquot Sangiacis, Agathyrsus Delimannus à Tamma Scacho cum Albano Hiberoq; equitatu expeditissimo missus est. Is nocturna oppressione, facto impetu Turcas adortus est, oppressit, & attrivit. Ceciderunt eo prælio tres Sangiaci, quartus captus est. Quintus cum Vlamabego vix sibi fuga consuluit: Sed Delymannus vlterius periclitandum non esse ratus, victor ad Tammam rediit. Hac suorum strage gravissimè indoluit Solymannus, qui ex Charahemida Alepum suum abduxit militem, & inde reversus est Constantinopolim. Reversus in Europam Vlamas donatus est Sangiacatu Bosnæ Illyrici, Vstrefo Sangiaco paulo antè mortuo: ita enim satius visum est Solymanno, vt re contra Persas non satis benè cedente, hunc procul à patriæ limitibus abduceret, ne fortè secutus fortunam ad Tammam iterum deficeret. Vlamas igitur cū Chairadine Barbarossa,

Dra-

Dragute, & Corſeto Pyratis miſſus eſt ab Imperatore in Illyricum, ad recuperandum Caſtrum novum ad ſinum Rizonicum ſitum, quod paulo ante Andreas Auria occupaverat:in hac expeditione Vlamas innumeram multitudinem montanorum Vſurcharum, Morlacharum, & Haidonum agebat:quorum parti præfecerat Teſtogin Turcam hominem promptum: Is olim Abrahimi baſſæ fuerat Citharœdus,& dominum criminatatus erat apud Imperatorem, quòd literas à Chriſtianis ſæpius reciperet: quare factum eſt ut poſt domini mortem ad maiora munia, & conditionem altiorem profectus fuerit. Chairadines in hoc bello navalium copiarum duxerat. Hi omnes terra marique Caſtrum novum adorti, magna Chriſtianorum ſtrage locum expugnaverunt, occiſo Sarmento præſidii præfecto, Cuſano Burgundione nobili,Sanchio Fria duce peditatusHiſpanici,Iano Navarræo,Dominico Ariadano, Serone Arragone,Oliverio Valentino, aliisq; ducibus ſtrenuiſſimis, qui mortem honeſtam prætulerunt ignominioſæ ſervituti. Reliqui in manus hoſtium vivi devenerunt,ut Arrius Mancinius,Diegus Maſchaferrus, uterque Hiſpani, Lazarus Coronenſis Græcus, Andreas Scrapula ex Neapoli Romaniæ natus, cum octingentis aliis veteranis militibus Hiſpanis,qui omnes Conſtantinopolim tranſlati ſunt: Vrbs recepta eſt anno domini 1539. Veneti hac clade perterriti,Rizanā arcem Turcis reliquerunt:Hi Catarū obſidentes,cui Maphaos Bembus præerat; re infecta diſceſſerunt.Anno 1542. Vlamas tria millia equitum adduxit Budam pro urbis defenſione,quam Ferdinandi nomine Ioachimus Marchio Brandeburgicus obſeſſurus erat. Budæ præfecturam gerebat Halisbaſſa Albanus poſt mortem Mahometi Hungari.

At Vlamas suos equites trans Danubium Pestum duxit quod nostri obsidione cinxerant, in qua Iacobus Trucsesius Marchio VValpurgi, equitatus Suevici præfectus cæsus est: & eius caput hastæ affixum ad Solymannum portatum est. Anno 1543. Vlamas iterum in Hungariam profectus est ad Strigonium oppugnandum: illiusque statio fuit ad eam mœnium partem, quæ portæ Budensi vicina est. Hanc ipse continuis tormentorum ictibus concussam dejecit; actisque sub turri munita cuniculis, eam tentavit subvertere incenso pulvere tormentario, quem doliis clausum sub turris fundamentis locaverat. Sed cum ea res non succederet, monitus est à quodam sene Calabro Crotoniata, qui ex urbe ad Turcas transfugerat, ut turrim aliam, quæ ad Danubium sita est, insulamque vicinam occuparet: quod fecit Vlamas, Crotoniatæque monitu turrim dejecerunt, & in urbem ingressi sunt. Mortuus est Vlamas anno domini 1548.



OLYN-



CARCERIBVS LÆSI SERVATVR TECHMASIS HELCAS:
CAVSA PATROCINIO NON EGET ISTA TVO.




FIDꝰ AMICITIÆ VETERIS TV CVLTOR HABERIS:
CAPTIVO VTILIS HÆC SED NEQVIT ESSE FIDES.

# OLYNDVS.



LYNDVS Arabs natione ex Adene oriundus qui multis annis ſub ſignis Solymanni Imperatoris Conſtantinopolitani militaverat, homo ſtrenuus, & qui per militiæ gradus ad magnas dignitates pervenerat; unicè dilectus à Soleimane Præfecto Cairi, cuius caſtra ſecutus eſt, & ab eo equitatui Arabico præfectus eſt: Contigit autem ut Elcas ſive Ercaſes Imirſa Tammæ Scachi Perſarum frater, Sirvaniæ ſummo cum imperio Princeps, cui poſt patris Iſmaelis obitum Aſſyria & Babylon ceſſerat, cum tota Meſopotamia, à fratris amicitia defecit, quòd imperii partitione non contentus eſſet, & Tammæ Scachi imperium non toleraret æquo animo: Quod cùm animadvertiſſet frater Helcam ad ſe venire juſſit, ut rationem redderet huius ſimultatis: ille gravius periculum metuens, cum fratri non ſatis fideret, malorum conſiliorum conſcius, ad Solymannum Imperatorem defecit, eiusque fidei ſe permiſit: cuius partes ſecutus eſt Olyndus in illius familiaritatem paulo antè receptus, & illi ad defectionem hortator, multis verbis enumerans Perſæ Principi, quàm clemens quàm benignus, & liberalis eſſet Tur. Imp. erga eos, qui eius partes ſequerentur: Idque Vlamæ begi, exemplo probabat qui tanta autoritate, tantis opibus valeret, ut reliquis Tammæ fratribus conferri poſſet. Quòd ſi erga hominem nobilem quidem, ſe parvæ ditionis dominum, tanta contuliſſet beneficia, non po-

terat dubitare illum multo plura præstiturum in regium fratrem: cuius opera Scachus debellari, & opprimi poterat, vel regno Persico penitus detrudi, Helcasque in eius locum substitui; hac tantùm servata conditione, ut Solymannum Imperatorem summum agnosceret. His persuasionibus Helcas, qui ad regnum aspirabat, Persidem relinquēs, longis itineribus per Circassorum regiones in Tauricam Chersonnesum Cofem venit, inde Constantinopolim. Eius adventus Solymanno gratissimus fuit: quem summo honore exceptum, amplissimis donavit muneribus: & postquam cum eo per aliquot dies familiariter cōtulisset, de ratione & modo, quo Tammas opprimi posset, collectis undique copiis summo cum apparatu in Persidem remissus est: jussumque est cæteris præfectis, & bassis, qui cum eo profecti sunt, ut illi in omnibus fidelem strenuamque navarent operam. Postquam igitur in hostilem penetrasset regionem, statim VVanum VVastani obsedit, & parvo momento expugnavit urbem. Persis non admodum resistentibus, quòd undique esset aperta, majori tamen difficultate arcem obtinuit, quę firmo militum præsidio defendebatur: Ea tandem in potestatem redacta, milites Turcici nullo resistente totam regionem diripuerunt & depopulati sunt: More enim solito sese Tammas Scachus in montes Albanorum receperat, neque unquam ad manum conferendam se obtulit. Helcas interim omnia moliebatur nullum detractus laborem ut loca Persidis munitiora occuparet, thesauros omnes corraderet, & ad Solymannum mitteret. Sed cum hoc bellum traheretur in longum, neque usquam appareret hostis, tandem laborum tædere cœpit Turcarum Duces & milites, qui rerum penuria laborantes, exitum huius

expe-

expeditionis infrugiferum futurum perſpiciebant. Cumque Perſicum Principem ſumma cum poteſtate imperantem non ferrent, illum apud Solymannum literis criminati ſunt: aſſerentes leporem dimittendum, & capiendum potiùs canem. Nempe Tammam formidoloſum & fugientem contemnendum, & hunc canem perſequentem Tammam de medio tollendum. Helcas conſpiratione Turcarum cognita, in cuiusdam Curdiſtani Principis domum confugit, quem olim habuerat amicum: ſed cuius fidem mutatam deprehendit: nam ſtatim captum Helcam vinctumque cum aliquot eius amicis ad Tammam Scachum tranſmiſit: Is fratrem proditionis ſeverè caſtigans, illum cuſtodiæ commiſit arctiſſimæ: Olyndus autem ab amicitia Helcæ non diſcedens, ſed graviter reprehendens eos qui illum iniquè criminabantur, inſidiis Turcarum circunventus occiſus eſt.



MEDA-

VIRTVVS OCCVBVIT: NÕ VIS SVPERESSE: SED AVDES
VT CAPAVEI STRVCTOS VXOR INIROS ROGOS.




ET CASIA ET NARDO DIVES CELEBRISQVE PVELLIS,
QVAS VNETÆ REGIO GIGNIT ODORA SABÆ.

# MEDABE.



EDABE Arabis Olyndi uxor, ipsa quoque ex Arabia felice originem trahens: mulier singularis erga maritum fidei & perseverantissimi amoris: Ea, dum Olyndus Helcæ militaret, ad Curdos cum duobus filiis se receperat, quòd exercitum huc & illuc vagabundum, & Persarum excursionibus assiduis minimè tutum sequi non posset sine gravissimo periculo, & mariti anxietate, qua à solita promptitudine revocabatur: Cùm igitur matrona fama ubique sparsa inaudisset Helcam à Curdistano principe captum, vinctūque ad Scachum Techmasem missum, Copiasque auxiliatrices fusas, ipsos Turcas infidos erga eum cuius patrocinium susceperāt eorumq; perfidia cæsum esse Olyndum, illa dolore, amorisq; impatientia percita cū duobus filiis impuberibus gladio mariti in pect⁹ adacto, mortem ultro sibi concilavit, recusans vivere post mortem illius quē vitæ propriæ prçferebat.

DVM CVTE NVDATVR BRAGADINꝰ ET IN CRVCE PĒDES,
TEVPOLE TVM CYPRVS TVRCICA IVRA SVBIT,








VERBA SVPERBꝰ ALIS PERTAVI AVDIRE RECVSANS
DVRA CORINTHIACIS FATA SVBIVIT AQVIS,

# SELYMVS II. SOLYMANNI FILIVS.



SVLTANVS Selymus vel Selymes eius nominis ſecundus anno Chriſti 1566. Septembris 23. poſt Solymanni patris obitum Imperio ſuffectus eſt, annum jam agens quadrageſimum ſecundum. Hunc exceptum Iſchodaræ è regione Conſtantinopolis Boſtanges baſſa triremi in urbem vexit, ubi ab Iſchendere baſſa Conſtantinopolis Profultano genero ſuo, ſolemni pompa ad tribunal Imperatorium perductus eſt; publicèque vota concepta pro eius incolumitate & acclamationes factæ, quibus omnia ſecunda, & felicia populus precabatur Sultano recens electo. Poſtero die epulum paravit funebre pro parentatione, donativoque populo diſtributo, in Saraium reductus eſt: Ianizzarisque congiarium largitus centum millium Sultaninorum, ad Albam Græcam profectus eſt, ubi corpus paternum quod eò advectum fuerat, lugubri palla amictus excepit, Conſtantinopolimque tranſvehi curavit curante funus Achmete baſſa, Ferhate Capizilariorum Aga, reliquisque Begis & Ianizzaris præcedentibus. Poſtquam Conſtantinopolim perveniſſent, Muphtis ſummus Muſulmannicæ religionis Pontifex, & ſacrorum rex corpus defuncti præcedebat, cum Iſchendere Profultano, & Dephterdaris ærarii præfectis pullatis omnibus, ſequente populi turba, eiulantibus & pectora flebilem in modum plangentibus Taliſmanis, qui funus

utrinque ſtipabant lacrymabili voce alternatim concinentes. Sandalipa, qua Sultani corpus clauſum erat, Cymatili precioſiſſimo panno erat inſtrata: ſuper quo injectum erat ſtragulum auro intertextum: ad latus pendebat acinax gemmis exquiſitis ornatus: & ad caput poſitum erat Tulipantum capitis tegumen orbiculatum, & in coni ſpeciem modicè prominens, lineis ſpiris ſubtiliſſimis, candidiſſimisque diſtinctum: cui impoſitæ erant Ardearum pennę nigræ exquiſitæ, ad Sandalipam adplicati erant cerei rotundi ingentes & ablongi. Taliſmanicum Hoggiis divaricatis cruribus humi ſedentes, pro anima defuncti preces fundebant. Poſtquam hoc modo Patri parentaſſet Selymus, Pertavum baſſam cum Valachorum, Tartarorum, & Turcarum copiis in Hungariam miſit, Vaivodæ Tranſylvano ſuccurreret bellum gerenti contra Maximilianum ſecundum Germanorum Imperatorem. Is eo tempore Tocaium arcem in Hungariæ & Tranſylvaniæ limitibus obſidebat, cui præe rat Maximiliani nomine Iacobus Ramingerus. Sed cum audiviſſet Tataros qui ad illum miſſi erant,, immani crudelitate graſſari in ſuos, ut imminenti periculo ſuccurreret, obſidione ſoluta domum regreſſus eſt. Habitoque cum Tataris latrocinantibus conflictu, aliquot ex iis millia trucidavit: Reliqui in Ruſciam & Podoliam fuga dilapſi, à regionis Vaivoda cæſi ſunt. Lazarus Svendius interim Zatvarum arcem Georgii Bebeci in Tranſylvania obſedit, quam tandem non ſine difficultate, & vitæ periculo
1567. menſe Ianuario anni 1567. deditione recepit. Neque multò poſt Muncazium obtinuit: caſtrisque hoſtilibus Huſtianam munitionem cinxit: Id poſtquam ad Selymum perlatum eſſet, Pertavum baſſam cum Romaniæ Be-

Beglerbegis in Hungariam proficisci jussit; quos tamen statim revocavit: quod audiret Maximiliani Legatos Constantinopolim venire. Budensis quoque bassa literis ad Maximilianum Imperatorem missis, rogabat ne bello hoc intempestivo permitteret pacis inducias interrumpi. Cùmque Svendius Cassoviam se recepisset, Vaivoda Transylvanus Risvarum arcem inexpectatus occupavit: quam non multo post recuperavit Rubertus Svendij Legatus. Anno 1568. inter utrumque Imperatorem renovata sunt pacis fœdera: Svendiusq; occupatus in Trãsylvania arces Germanorum præfectorum curæ commisit, ut fidelius in potestate Maximiliani servarentur.

Anno 1569. mense Septemb. armamentarium navale, quod Arsenale dicitur, Venetiis conflagravit, maximo & irrecuperabili reipublicæ damno: Hæc res movit Selymũ ut illis bellum inferret: eiusque prætextum sumpsit quòd Cyprum nullo jure occuparent: quæ ad Imperatores Constantinopolitanos pertineret, Sultanis AEgypti & Syriæ victus, quibus Selymi I. tempore erat tributaria. Anno enim 1423. Ianus Petri filius rex Cypri ex Lusignana familia oriundus, cum Melechella Sultano AEgypti bellum gessit, In quo captus est: precioque centum & quindecim millium Seraphinorum persoluto in regnum remissus est, quod tributarium Sultano fecit. Ianus hic mortuo patre primis nuptiis uxorem duxit filiam Marchionis Montis ferrati: eaque sine liberis defuncta, Helenam Paleologam superinduxit, ex qua suscepit unicam filiam Caroletam: quæ adulta marito nupsit Ioanni Lusitano; eumque dissidio inter eos orto offensa veneno sustulit: Erat illi frater Iacobus illegitimo natus toro, Famaugustæ Archiepiscopus: Is reginæ vene-

veneficio offenſus, relicto ſacerdotio, regnum occuparet expulſa Caroleta, quæ Ludovico Sabaudo ſecundis nuptiis juncta eſt: Cum quo in Cyprum reverſa Iacobum expulit, & regni poſſeſſione iterum eſt potita. Iacobus in Aegyptum navigans ab Aleſſerapho Cairi Sultano imploravit opem: à quo adjutus Cyprum recepit, quam tributariam Sultano in perpetuum eſſe voluit. Iamq; ſenex Venetias profectus Aecaterinam Carnaram puellam forma ſingulari à ſenatu uxorem popoſcit, priùs tamẽ à Republica adoptatam. Is moriens uxorẽ gravidam reliquit, quæ poſthumun peperit: isq; infantulus morbo extinctus eſt. Veneti regnum mulierculæ relinquere non ſatis tutum rati, illam amicè monuerunt, ut rebus ſuis maturè conſuleret: illam regnum Turcis & Mamelucis vicinum poſſidere procul à patria, quod diu retinere non poſſet, facultatibus idoneis & conſilio deſtituta. Itaque conſultum videri Senatui, ut Cyprum Reipublicæ Venetæ relinqueret: ipſe verò in patriam reverſa, honore ſummo à ſuis coleretur, quos tam excellenti beneficio ſibi obligaſſet & devinxiſſet: Monitis ſuorum lubenter paruit regina, acceptisque à Republica in annuo reditu quinque Cichinorum millibus Cyprum Venetis reliquit: qui ut priorum regum pacta ferebant, tributum quotannis Aegyptio Sultano pendebant, donec anno 1517. Tomombæus à Selymo primo victus eſt, & Syria Aegyptusque in Turcicorum Imperatorum poteſtatem redacta eſt. Cui ut armorum jure, legitimo poſſeſſori tributum ſolitum ſolverunt, ac Solymanno eius ſucceſſori: Selymus autẽ ſecundus Venetos nullo jure inſulã poſſidere cauſatus jam de tributo nõ cogitare, ſed de regni totius occupatione cœperat, quod ſibi vicinum, opportunumq; ſciebat. Cubatem

tem igitur Zausium anno 1570. ablegavit ad Venetias Cyprum repeteret, & recusantib⁹ bellum indiceret. Cubates Venetias appulit sub initium Aprilis eiusdem anni; repulsamq; passus, Constantinopolim reversus est: Instrui copias & militem legi ex Europa & Asia statim præcepit Selymus. Terrestres Mustaphæ bassæ cõmissæ sunt, navales Piali & Aly bassis. Pialis bassa Tenum insulam in Ægeo mari sitam, & Venetis subditam ferro flammisq; devastavit, Eiusdem anni mense Iunio Sebastianus Venerius Corcyræ præses Soppotuum Albaniæ castrum expugnavit, cui præfecit Manuelem Murmuriũ Napolianum. Eodem mense Marcus Quirin⁹ Hadriaticæ classis præfectus Mainã arcem (quę olim Leuctra vocabatur) ad sinum Messeniacũ sitam occupavit, & solo æquavit. Sub initiũ Iulij. Nicosia Cypri cœpta est obsideri à Mustapha bassa: quæ capta est, & crudelissimè direpta decimo Sept. cæsis fere omnibus qui in urbe inventi sunt, & eorum parte in servitutem abacta. Victor Mustaphas insolentior redditus de Famaugusta invadenda cum reliquis bassis egit: ad quam cùm esset. castra metatus, Alis bassa cum classe Cretam ingressus est, multaque damna Cretensibus intulit: Vluzalis quoque Africanæ Barbariæ Prosultanus, Rhetymum urbem in Creta ab oppidanis desertam incendit. Cumque reliquis ei⁹ insulæ oppidis tẽpestivè à Venetis provisum esset, amissis suorum tribus millibus & septingentis, Alisbassa Creta relicta Citheram, quæ nunc Cerigos vocatur, Venetorum juris insulam petivit: & portu S. Nicolai ex majori parte direpto, Zacynthi & Chephaleniæ suburbiis incensis, Soppotoum invadit, recepit, Manuele Murmurio capto. Pauloque post Dulcinium in limitibus Dalmatiæ, & Albaniæ finibus per ditionem occupavit. Pari felici- 1570.

felicitate Butua & Antibari potitus est. Vluzalis & Garagosa Raisus in Liesena Insula Fari suburbia depopulatus est: uterque etiam Curzolam pari damno affecit: quamvis ab urbo Curzula, quam viri deseruerant, Turcas repulerunt mulierculæ intra mœnia relictæ. Interim Famaugustani per annum integrum obsessi, rerum omnium penuria laborantes, deditionem facere, compulsi sunt: hac conditione, ut vita rebusq; salvis, Veneti in Cretam incolumes ducerentur. Cyprii verò Christiana religione retenta, domos & prædia sua possiderent. Conditiones istæ adprobatæ & signatæ sunt à Mustapha: nihilo tamen minùs Marcus Antonius Bragadinus urbi præfectus post ditionem ab immani barbaro vivus est excoriatus. Hoc modo Cyprus, quæ Venetis paruerat ab anno 1470. in Turcarum potestatem redacta est. Quæ dum oppugnaretur fœdus sacrum ictum est inter Pium V. Pontificem maximum, Philippum Hispaniæ regem, & Senatum Venetum. Christianis omnibus copiis dux & Imperator summus autoritate omnium designatus est Ioannes Austriacus, Caroli V. Romanorum Imperatoris filius. Classi Venetæ præfectus est Sebastianus Venerius: Pontificias triremes agebat Marcus Antonius Columna: his se junxerunt alii plurimi, illustres viri: ut magnus Castiliæ Commendator, Ascantus, à Corgna, Ioannes Andreas Auria Melphiti princeps, & Veneti tres patricii, Augustinus Barbarigus, Marcus Quirinus & Antonius Canalis: Præterea Alexander Farnesius dux Parmensis, Octoviani filius, Franciscus Maria Princeps Vrbinutum, Paulus Iordanus Vrsinus, & Alvarus, Marchio S. Crucis. Hi omnes instructa classe ex Sicilia solventes mense Septembri Lepantum (quod ab antiquis

tiquis Naupactum dicebatur, Turcæ vocant hodie Inebechtin) pervenerunt. Nauales copias Turcicas in sinu Corinthiaco continebat Alisbassa; Pertavus verò terrestribus præerat. Alisbassa pugnandum esse dicebat cum Christianis, cuius opinionē adprobabant Chasanes Chairadinis Barbarossæ filius, Vluzalis Prosultanus Cæsariensis, & Chaisbegus Smyrnensis Sangiacus. Horum sententiam improbabant Pertavus, Sirocus Alexandriæ Sangiacus, Carabuzes Sonrisaris in Cilicia præfectus, & Mechmetes Salæ Raisi filius Sandiacus Euboeæ. Vicit tamen Alisbassæ autoritas. Orto igitur ad Cuzolares insulas magna animositate prælio, Christiani superiores evaserunt. capto occisoq; Alibassa: Pertavus suorum stragem animadvertens scaphæ beneficio elapsus in continentem, saluti suæ consuluit. Vluzalis & ipse cum triginta triremibus evadens, fuga celeri vitam tutatus est. Reliqua classis Turcica, cum infinita præda in Christianorum potestatem redacta est. Perierunt hoc navali conflictu Turcarū viginti quinq; millia: capta quatuor millia: liberatiq; captivi Christiani ad quatuordecim millia. Gesta hæc sunt septimo Octobris anno 1572.

Hac clade perculsi Turcæ, Margaritinum arcem in Acroceraunijs Chimeriodis dediderunt Venetis 12. Nouembris eiusdem anni, quod igne consumpserunt. Soppotoum quoque Albani occupauerunt, & Venetis restituerunt.

Eodem tempore Amidas Muleassemi Tunetanorum regis filius, à Turcis regno expulsus, cum duobus filiis ad Franciscum Tovarem Goletæ præfectum profugerat, & cum Hispano præsidio vitam agebat privatum. Cum autem accepisset tantam cladem Turcas accepisse ad Nau

pactum, Legatos misit ad Ioannem Austriacum tunc in Sicilia moras facientem, qui eius auxilium supplex imploraret ad regnum Tunisis recuperandum, promittens liberaliter annonam, reliquaque ad bellum necessaria: Austriacus Princeps, ut supplici regi gratificaretur, in Africam expedivit Ducem Suessanum, & Melphitanum Principem cum Ioanne Andrea Auria, qui in Barbariam trajicientes Tunisini urbem occuparunt, militumque prædę permiserunt. Sed Amidas promissis non stetit, Christianosque perosus, clandestina conspiratione cum Turcis consentiens, exitium Christianis procurasse creditus est. Quod postquam nostris innotuisset, infidum regem cum duobus filiis in Siciliam transmiserunt, ipsiusque fratrem Machimetem, qui Hispanis inviolabilem fidem se servaturum in posterum promittebat, regno Tunetano præfecerunt. Selymus Imperator tantos Christianorum in Africa successus ægerrimè ferens Sinanem Bassam creavit Thalassiarcham: eumque cum centum & sexaginta triremibus, trigintaque tribus altis navibus in Africam navigare jussit, commissa illi summa totius belli gerendi administratione, & summa auctoritate: qui in Barbariam appulit mense Iulio anno 1574.

Ioannes Austriacus ex suorum consilio præceperat arcem strui inter Goletam & Tunetum cuius rei causa Gabrielem Serbellonium Mediolanensem cum duobus Italorum millibus, & Salazarum Hispanum cum totidem Hispanis relinqui jussit Goletæ, qui eam munitionem perficerent: nam uterque muniendarum urbium peritissimus habebatur: Sed cum Sinanes bassa eò venisset, nondum arx erat absoluta: præterea exauctorati fuerant plurimi veterani milites præsidiarii Goletæ: Turcæ igi

cæ igitur celeritate in rebus gerendis usi, parva difficultate munitionibus novis potiti sunt: Goletam demum arctissima cinxerunt obsidione, obstinationeque summa oppugnarunt, Petro Carrera Hispano arcem fortiter propugnante: Cum autem Turcis impares essent, neque illorum impetui resistere possent, Goletam hosti reliquerunt. In qua inventæ sunt quingentæ belli machinæ, cum ingenti pulveris tormentarii, armorumque & annonæ copia. Hæc contigerunt anno 1574. Quo tempore Veneti cum Selymo pacis inducias iterum pacti sunt. 1574.
Ipse verò Turcicus Imperator anno sequenti 1575. vita decessit. Murate filio Imperii successore relicto.



PRODET AVARITIAM MAXVDES PERSA, TVAMQVE
PERFIDIAM : FATIS OBRIVS ITO TVIS.




DVM TVA CASTRA FAMES, PESTISQ. GELVQ. LACESSIT
TVTATVR MEDOS PARTHICVS HOSTIS AGROS.

# MVSTAPHAS BASSA.



VSTAPHAS BASSA Selymi secundi Præceptor fuit, iunioris Principis institutioni præfectus à Solymanno Imperatore, quod esset homo promptus, facundus, & ad arma natus: Illum postquam adolevisset Selymus, & ad Imperij dignitatem provectus esset, ad Cairi Beglerbegatum promovit, quamvis illius superbiam sæpius improbaret, nihilo tamen minus, vt gratus videretur, illum ad summas evexit dignitates. Cum autem Venetis eripere Cyprum vellet, Musthapham cum terrestribus copiis eò misit: navales verò commisit Piali & Ali, bassis. In Cyprum igitur cum exercitu veniens Musthaphas, Nicosiam regni Metropolim obsedit, & in suam potestatem redegit decimo die Septembris anno 1570. 1570.

Cæsisque ad internecionem præsidiariis militibus, omnique nobilitate, reliquum vulgus servituti mancipavit. Paulò post omnes copias Famaugustam transtulit quam obsidione cinxit sub medium Augustum eiusdem anni: duravit ea obsidio annum fere integrum, non sine Turcarum maximo dispendio, quorum plusquam octoginta millia perierunt. Vrbani tandem rerum omnium penuria laborantes, ad deditionem faciendam compulsi sunt: hac conditione tamen, vt Veneti omnes qui ea in Insula erant rebus salvis in Cretam traiicerent Musthaphę

 salvo

ſalvo conducta, Cyprii verò domos ſuas prædiaque retinerent, & religione Chriſtiana viverent. Conditiones has adprobavit Muſtaphas, ſanxitque, & propria manu data fide ſignavit: Cuius fidei ſe ſubmittens Marcus Antonius Bragadinus urbi Præfectus, Famauguſta cum pręcipuis nobilibus egreſſus, claves portarum in caſtra attulit: Illum principio ſatis comiter excepit barbarus, illiusque conſilium laudavit, ſimulque omne humanitatis officium illi ſociisque obtulit: dedita vrbs eſt principio Au-
1572. guſti, anno 1572.

Sed ſtatim poſtea violata fide Bragadinus in vincula coniectus eſt, ac per omne ſcelus & ludibrium ab immani bellua tractatus, tandem cute cum vita crudeliſſimè privatus eſt: cæterique miſerabiliter pecudum more trucidati ſunt. Laurentius Tempolus præfectus Paphi, qui in defenſione urbis fortiter militaverat, ad furcam adactus eſt. Mortuo tandem Selymo, cùm
1578. Murates eius filius Imperium ſumpſiſſet, Muſtapham anno 1578. cum exercitu ducentorum milliū hominum in Perſidem miſit contra Muchemetem Techmaſis filium qui auxilio Chitaini Chanis, & Georgianorum, Turcas à ſuis finibus arcere & propulſare ſtudebat: Cum Muſtaphas ad Georgianos (qui Iberi ſunt) perveniſſet, eorum fines crudeliter depopulatus eſt. Cuius potentiam metuens Princeps quædam mulier (quæ annoſa vetula vulgo nuncupabatur, apud Georgianos, inter quos autoritate & opibus primū locum obtinebat) duos quos habuit filios in Muſtaphæ caſtra miſit cū muneribus, ut ſe illi dederent, fidemq; Imperatori Turcico jurarēt. Muſtaphas duos juvenes Principes humaníter excepit, & ut erat doloſus, & perfida

perfida ſimulatione plenus, illis matrique ſanctè juravit, ſe non permiſſurum, ut quicquam damni acciperent eo bello, imo illis ſuum patrocinium in omnibus promiſit. Non deſiit tamen duos juvenes Conſtantinopolim mittere, literiſque monuit Muratem ut alterutrum, vel ſi fieri poſſet utrumq;, ad Muſulmanicam religionem cogeret: alioqui difficilè eſſet illos in officio ac fide retinere. Poſtquam in Europam deducti eſſent, Murates illorũ egregia indole delectatus, ſtuduit inprimis ut honorificè tractarentur: tandem hac benevolentia pellectos paulatim illis religionis propoſuit obſervantiam, promiſitq; ſe illis patrẽ ac benignum fore tutorem, & protectorem, ſi Muſulmãnorũ devotioni ſe ultro dederent. Senior natu precib⁹ aut minis nunquam potuit adduci, ut Chriſti obſervantiam desereret: proteſtat⁹ ſæpiſſime ſe in Muratis obſequio & fide ſemper perſeveraturum, facultates ac vitã pro eo, ſi eſſet, lubentiſſimè profuſurum, dummodo illi relinqueretur eius religionis exercitium, quam ſimul cum lacte ab infantia imbiberat, quamq; à ſuis maioribus ſacroſanctã acceperat. Eius frater natu minor multis promiſſis perſuaſus, ac minis etiam territus, ne ſi in Imperatoris odium incurriſſet, malè cum eo ageretur, procul à patria abducto, & omni ſuorum ope deſtituto, circuncisionem recepit die 25. Iunij. 1579. Cuius rei gratia illi materna ditio, 1579.
quæ Siphliſio & Tſchildiri contermina eſt, ſub Beglerbegatus titulo conceſſa eſt. Reverſi uterque ſunt in patriam 15. Auguſti ubi ſubita morte expiravit natu maior, non ſine dati veneni ſuſpicione, dum eſſet Conſtantinopoli. Muſtaphas interim non ſine diſcrimine, & ſũma difficultate verſabatur inter hoſtes. Nam Tocmaces Sultan⁹ Revani Perſarum partes ſecutus, habita pugna 15. Turcarum millia

millia ſtravit, Tiphliſiumque cepit menſe ſeptembri anno 1578. Hac victoria potitus, quotidie magnos progreſſus faciebat, Georgianorum Principum qui defecerant fines diripiens. Muſtaphas cum trans amnem Caraſu copias duceret, ſeptendecim ſuorum millia amiſit, vorticib⁹ & rapacitate fluvii abſorptos, præter Camelos & jumenta quæ ſimul cum ſarcinis abſumpta perierunt. Sirvanum cum reliquo invadens exercitu cepit, Perſis ac Medis vrbe diffugientibus, & facultates ſuas in loca tuta auſportantibus: Hoc anno Perſici belli primo ſatis infeliciter Turcis ſemper ſucceſſit: eo enim plusquam ſeptuaginta eorum millia variis conflictibus occubuiſſe conſtat: Muſtaphas, qui ſe in Armeniam maiorem receperat, ex Arzerume ſæpius in Perſarum fines irrumpens, ab hoſtibus ſemper non ſine magno ſuorum damno repulſus eſt. Deiecti enim erant omnium animi, propter fortunæ adverſantis iniuriam: cui accedebant frigus intolerabile, & annonæ penuria, quæ Muſtaphæ avaricia & negligentia defecerat, imminutusque ex maiori parte fuerat exercitus peſte vehementi, quæ in caſtris paulò antè fuerat graſſata: His omnibus incommoditatibus ab eo abalienati erant non ſolum milites, ſed etiam ipſi Beglerbegi, qui ducis ſuperbum faſtum, avaritiam, & crudelitatem deteſtabantur, Dilabebantur itaq; plurimi quotidie, ſeſeque ſubtrahebant è caſtris. Interim ſe anxium Muſtaphas continebat Arzerume, quæ vrbs eſt præcipua maioris Armeniæ, neſcius quid ſibi opus eſſet facto: Nam illum literis iam ſemel atque iterum revocaverat Murates, certior redditus de iis quæ in Perſide gerebantur, illumque in Amaſiam remeare juſſerat, vt illic aëre ſalubriori, & annona copioſiore reficerentur milites omni rerum penuria languentes,

es,morbisque,& contagiosa peste confecti. Principis tamen mandato parere recusavit, prætexens gravissima incommoda Turcicis rebus impendentia, si retro quasi fugiens cederet: Persas interim non latebant hæc omnia: qui data occasione redditi audatiores, vagabantur liberè per fines hostium populabundi, & prædas vndique sine impedimento avertebant. Ipsoque Muchemetes Scachus Tebrisium iam receperat victor. Id simul & Muratis mandatum coëgit Mustapham exercitum ex Armenia reducere in Persidem. Sed illius imperio desierant obtemperare milites, præfectique superbiæ illius avariciæq; pertæsi. Quod postquam Murati innotuisset, veritus ne res in peius laberetur, Mustapham, severissimè minitatus exitium ni pareret, Constantinopolim revocavit: & in eius locum substituit Sinanem bassam, qui paulo antè erepta Hispanis Goleta, totaque Africæ ora maritima, clarus in aula Imperatoris habebatur. Isque vt erat animo elato, confidenti, & iactabundo, passim asserebat, si illi res publicæ committerentur, brevi effecturum, vt Scachus Sophi tota Perside spoliatus, tandem catenis vinctus vilis instar mancipii Constantinopolim captivus traheretur. Semel igitur iterumque revocatus Mustaphas, cum reditum obstinatus differret iram Muratis metuens conscientia pressus rerum crudeliter avarèque administratarum: Imperator tandem irritatus Capizilariorum Kihaiam, hoc est Portitorum præfectum, cum aliis quindecim portitoribus robustissimis hominibus in Persidem misit, qui quavis occasione Mustapham vinctum adducerent, vel interimerent. Illi cum eo venisset, diuque in castris hæsissent, ad colloquium cum Mustapha non admissi: tandem vrgente necessitate, cum reditum differre vltra non

 posset,

posset, autoritate sua fultus, qua apud Selymum Imperatoris patrem valuerat, existimansque satius esse suo Principi se submittere, & illius clementiæ subiici, quam perpetuo in discrimine vitæ & metu torqueri, Kihaiæ tandē se dedidit fide accepta & iuramento, Kihaiam reliquosq; Portitores nihil durius aut sua conditione vel statu indignum molituros. Quod vbi jureiurando se præstiturum promisisset, cum Nischanzi qui Cancellarius est, & Dephterdaro rationum magistro, Constantinopolim abdu-
1580. ctus est, quo pervenerunt die 9. Aprilis 1580. Custodiæ primum simul traditi sunt, sed liberiori, ad conspectum tamen Principis neutiquam admissi. Non tamen desinebant cum amicis de rebus necessariis consultare: omnes illi suaserunt, vt largitionibus & muneribus consiliariorum animos sibi benevolos redderet, ipsumque principem demereretur, qui Mustapham propter ætatem ac dignitatem non ita alienatus colebat: verebanturque in illius vitam aut statum durius quicquam aggredi, Largitione igitur incolumitatem omnes mercati sunt: sed tanquam privati cum suis vivebant, & arcebantur à conspectu Imperatoris. Paulò antè Achmetes Vezirazemes Selymi secundi gener à Dervisio quodam monacho domi suæ nefarie cæsus erat. Illius dignitatem Mustaphas affectabat, quod inter bassas senior, & autoritate facilè primus haberetur. Hanc tamen præter omnium expectationem Murates Sinanibassæ cum sigillo Imperatorio commisit, cum in Persidem illum ablegaret, vt exercitum susciperet, & in Scachum bellum gereret. Accidit paulo post vt 4. Augusti 1580. Constantinopolim missus à Muchete Persarum Scacho veniret Maxudes Chan, vt de pace tractaret, & de in uriis acceptis conquereretur. Illius adventu

ventu Mustaphas perterritus, metuens ne eius accusatione rursus in odium Imperatoris iam aliquantulum alienati traheretur, à quo se donis & astu difficulter paulo ante aextricaverat, iamque passim per vrbem fama spargebatur illum brevi supplicium subiturum, domum anxius se recepit, peponesque largius vorans, & Zerbetum potionem ex aqua saccaroq; & cinnamomo confecta, hauriens, cui vt creditur venenum admiscuerat subito extinctus est. Mortui bona ad fiscum relata, portione per exigua nepotibus parvulis concessa.





SOMNIA QVID VANO VERSAS INTERPRETE; PARTHVS
ACCIPIET FVSIS MEDICA SCEPTRA GETIS.




MVSTAPHÆ FAST' COHIBE; ATQ. SVPERBA SINANIS
RESPONSA; POENAS QVAS MERNERE LVANT.

# MVRATES III. SELYMI II. FILIVS.



NNO Christi 1575. Selymo secundo mortuo, Murates tertius huius nominis, postquam solemnibus exsequiis parentasset, paternum occupavit Imperium, annum agens vigesimum septimum. Is maiorum suorum more, vt solus rerum potiretur, quinque fratres natu minores in sua præsentia strangulari jussit: Eodem quoque anno Techmases sive Tammas Sophi Scachus Persidis è vivis decessit: cui successiit Haidat Mirises natu tertius, excluso Muchemiete Hodabende primogenito, & Ismaele secundo eius fratre. Haidarem oderant Persæ propter fastum, illumque vita privarunt, & Ismaelem eius fratrem regno præfecerunt: qui à patre Tamma in vinculis diu fuerat detentus, propter certas calumnias quibus illum delatores apud regem onerarant. Is cum primum ad regni moderationem venisset, accusatores, fratresq; suos de medio sustulit, ne quis illi insidiaretur, aut regnum interturbaret. Cumq; in suos principes propter leves etiam suspitiones sæviret, & Persis intolerabilem se præberet, omnium animos à se abalienavit: Procurarunt itaq; Satrapæ aulici, vt in cibo per sororem regi venenum præberetur, quo extinctus est sexto regni mense.

& in eius locum suffecerunt Muchemetem Hodabendē, qui Tammæ filiorum natu erat maximus.

Anno 1576. Stephanus Batorius Somlianus vir animi generosi (qui mortuo Ioanne Sigismundo Vaivoda, Transylvaniam occupaverat) Muratis Turcarum Imperatoris ope creatus est rex Poloniæ, vnde Henricus Valesius, Carolo fratre Galliarum rege mortuo, discesserat, vt in patrium regnum reverteretur, quod Polonico non sine causa prætulerat: Interim Muchemetes Persarū rex à Turcis bello lacessitus, exercitum quantum potuit ex suis & vicinis confœderatis collegit, cui cum summa potestate præfecit filium suum Emirem Chanan Mirisem. Caussam belli præbuit cuiusdam Sangiaci Curdi, sive Chaldæi defectio ad Persas : cui Muchemetes Scachus omnem operam promisit, in recuperanda sua ditione, quam Muratis iussu alter obtinebat. Husreves autem, reliqui que Sangiaci Turcici ad Persiæ limites constituti collecto milite Persidem iam invaserant, asserentes pacis iura violata fuisse ab Ismaële, qui rebelles in suam protectionem susceperat. Nam vivente adhuc Ismaële ad Persas se contulerat Curdus iste Sangiacus : & ante illius mortem Turcæ arma iam sumpserant, infestis agminibus limites Persidis molestantes: inchoatum igitur bellum oportuit Muchemetem prosequi, cum de pace transigenda nihil posset obtinere apud Muratem iamdudum Persico regno inhiātem. Hunc præter ambitionem maximè movebat religio turbata, & diversæ de ea controversiæ, & opiniones totam Asiam pervagantes. Multa enim hominum millia (quos Schophtalarios vocant) per totam Anatoliam turmatim congregabantur, qui assererent publicè, ac docerent Persarum religionem Tur-

cicæ

cicæ præferendam: neque deerant Constantinopoli, qui eam adprobarent: Præterea Murati Imperatori somnium tale contigerat, dum quieti daret operam: Ali jidem quoque accidisse Scheichi cuidam Sacerdoti vitæ sanctimonia inter Turcas clari. Somniū tale fuit: Visum enim sibi erat sedere in medio mundi sub arbore patula, cuius rami duo longissimè porrigebantur. Vnus ad extremum solis ortum, alter ad occidentem. Ex orientali plaga provolvebat se tortuosis voluminibus, squamoso tergo varius, christisque rubris insignis serpens ingentis magnitudinis, ad quem accedens Murates, scipione quem dextra tenebat colubri caput obtrivit, iterum iterumque duplicatis ictibus belluam insurgentem, & sibilis hiantique rictu morsum minantem stravit, & demum interfecit. Iterum postquam obdormivisset Scheiches, Vidit prope Paradisi portam Ebuhanisem Imamum Azemen summum sacerdotem & doctorem, qui ad Scaichem conversus, Abi, inquit, ad Muratem terræ Chalifem Mahometis Prophetæ vicarium, cui meo nomine, hoc refer, Imamum Azemem cum è Paradiso egredi vellet, offendisse ante portam Sceichem Haidarem Persicæ herefeos autorem, qui à Paradiso excludebatur: cum quo post longas altercationes de religione conferens, victum tandem, & falsitatis condemnatum interemit, eiusque liberos discerpsit, & superstitionem abolevit. Quare monebis Chalifem arma vt moveat in sectarios hereticos, quos divino auxilio vincet & superabit. Hæc duo somnia Murates cuidam Hoggiæ sacerdoti communicavit, & Scheichi in sacris literis optimè versato. Vterque interpretatus est, Constantinopolim in medio mundi sitam, quod illic arbor

arbor Imperii plantata sit, cuius rami ab oriente ad occidentem extenduntur. Serpentem illum esse Scachum Persicum, quem Murates attriturus sit & interfecturus. & Ebuhanisem occidisse Haidarem, significare, sectam Persicam interituram, & brevi subversam iri: Turcæ tres Imamos sive doctores summos primo in honore colunt Ebubekirem, Osmanem, & Omarum, qui Mahometem prophetam proximè sunt secuti, & in regno illi successerunt. Præter illos, venerantur alios quatuor quos Imamos hoc est Doctores vocant. Primus est Ebuhanises Imamus Azemes: Secundus Imamus Melichis. Tertius Imamus Scaaftis, Quartus Imamus Achmetes Hembelis, & his quatuor summam autoritatem tribuūt in interpretatione sacrarum scripturarum, & in ceremoniis stabiliendis. Apud Persas summa est in veneratione Alis Mahometis Prophetæ gener, & interpres. Post quem sequitur Scheiches Haidar, Alis doctrinæ restaurator, auctorque sectæ Persicæ (vt in vita Ismaelis primi recitavimus) & Imamus Haruslis. Hi duo in vrbe Persidis Reza vixerunt tempore Erdebilis Ismaelis Scachi patris: & cum Persæ horum scripta tantum approbent, Turcæ superiorum instituta sequuntur cum Tartaris omnibus, & Africanis: reiiciuntque alia cum Haidare, tanquam religionis corruptores, & depravatores Alcorani doctrinæq; magni Prohetæ, Mahometis, & seductores hominum, qui eorum sectā adprobant. Duobus somniis superioribus in vanam spē erectus Murates, nihil aliud animo versabat quā de bello Persis inferendo, Muchemetes interim Sophi regnū fraterna temeritate & crudelitate turbatum sedare cupiēs, & in statū tranquilliorem reducere, pacē cum Turcis stabiliendā iudicavit consultius, quā ad bellum redire,

Lega-

LegatosConstantinopolim misit,qui pacis inducias cum patre & fratribus pactas confirmaret: Sed Murates literis Sangiacorum, qui limites Persidis regebant, certior redditus,Scachum Sophi pacem non expetere,sed bellorum dilationem, donec turbatum regnum componeret, & necessaria ad bellum procuraret, Legatos contempsit ac remisit. Copiasque quàm potuit maximas congregavit, idque Husrevis bassæ consilio, qui VVanensi provinciæ Persidi vicinæ præerat, & Turcicum Imperatorem quotidie nunciis stimulabat àd arma cōtra Persam sumenda. Cùm igitur Muchemetes animadverteret se pacem impetrare non posse, fœdus iniit cum Kesie bassa, qui Vlu Chan Chitainus vocatur, cumque in bellorum societatem accivit cum Iberis Georgianis: Turcico exercitui præfectus est Mustaphas bassa, qui cum ducentis hominum millibus Bosphorum trajiciens anno 1578. in Asiam 1578. venit:illique se junxerunt omnesAnatoliæ begi,perveneruntque ad Georgianorum limites sub Augusti principium,quos ferro & flammis crudeliter devastaverunt.Tocmaces Sultanus Revani primus Turcas excepit, quorum uno prælio plusquam quindecim millia cecidit, eorumque vires non mediocriter attrivit; Capto Tiphlisio civitate celebri Georgianorum tamen damnum acceptum utcunque resarcivit Mustaphas:ubi postquam Beglerbegum, & Depterdarum constituisset, in trajectu Carasu fluminis,qui Mediam à Georgianis terminat, multa suorū millia amisit. Cū reliquis autē copiis S rvanum Mediæ Metropolim adortus, cúm cives inde aufugissent, eam cepit. Beglerbegoque illic & Quæstore relicto, commissaque exercitus parte Osmani bassæ ad tutandos fines, ipse Arzerumen majoris & Armeniæ urbem, & à Trape-

zunte dierum ſex ſpatio diſtantem ſe contulit. In eius abſentia Perſa Scachus in Mediam irrumpens Sirvanum recepit, cæſo Beglerbego cum omnibus præſidiariis militibus illic relictis: Oſmanes baſſa rebus malè ſuccedentibus ſuæ ſaluti metuens, cum iis copiis quas ſuperſtites habuit, Temircapim ſive Derbentum ad mare Caſpium fugit: Schemhalim Chanen regionis ſibi conciliavit, eiusq; filiam uxorem duxit: Quæ paulo poſt inſtinctu mariti patrem veneno ſuſtulit, ut ſolus rerum potiretur. Hoc facto nuncios ſtatim per Capham expedivit ad Muratem, qui illi narrarent res ad mare Caſpium geſtas: rogarentque ut pecuniam, annonam, copias, & alia neceſſaria mitteret, quibus adiutus Moſcoviam, Indiamque Orientalem, Samarcandam, & alias regiones vicinas commodius poſſet aggredi. Murates nihil cunctandum ratus, ad Oſmanem ſtatim miſit quæ popoſcerat, laudans illius conſilium, ſimulque illum exhortans ad res ſtrenuè gerendas. Iuſſit quoque duos Tatarorum Principes, fratres Mechemetis Keraiorum Chanis cum ſexaginta millibus hominum ad Oſmanem contendere: Horum auxiliis elatus, Perſarum fines quotidianis excurſionibus infeſtabat, donec Perſæ coacto ſimul exercitu illum adorti. Tataros omnes ad internecionem deleverunt; altero Tatari Chanis fratre interempto, altero verò ab hoſtibus capto. Oſmanes baſſa ſuis exutus copiis, cum pauciſſimis reliquiis Temircapim repulſus eſt: unde latrociniis, & incurſionibus repentinis in Perſidis fines irrumpens prædas avertebat, & iis victitabat. Rebus igitur infeliciter ubique ſuccedentibus, poſtquam Muſtaphas Carſeum & Tſchildirim munivifſet, ſæpiusque cum hoſtibus congreſſus, ab iis fuſus fugatusque eſſet, anxio admodum animo eſ-

mo esse cepit, prævidens infelicem suarum rerum subsecuturum finem. Milites enim annonæ defectu rerumque omnium necessariarum penuria laborare cœperant, misereque contagiosa peste conflictabantur: Quæ res occasionem multis præbuit, ut relicto duce dilaberentur, ac sese è castris subtraherent, neque illius imperio se submitterent. Murates ut huic malo succurreret, Mustapham Constantinopolim redire jussit, & in eius locum Sinanem bassam substituit, quem Vezirazemē creavit, commisso illi sigillo Imperatorio. Hac insigni dignitate, supremaque autoritate præditus Sinan bassa 25. Aprilis 1580. Constantinopoli in Anatoliam cum exercitu transfretavit: Cumque pervenisset ad Georgianorum fines, nihil admodum memoria dignum præstitit, quòd in exercitu omnia turbata invenisset, consumpto peste, fame, ac frigoribus hibernis. Constituit tamen Batini & Sochumæ Beglerbegos & Dephterdavos, per quos Georgianorum Iberorum refrænaret audaciam: At cùm Tiphlisium obsidione cinxissent Persæ, Sinanes aliquot suorum millia eò misit qui obsessis opem ferrent: sed ab obsidentibus tanta animositate excepti sunt, tam duriter tractati, ut pluribus cæsis, amissis sarcinis & impedimentis, reliqui vix incolumes ad Sinanem rediverunt: Tantorum interim tamque diuturnorum bellorum pertæsus Muchemetes Scachus, Maxudem Chanem Persicum Satrapam delegavit Constantinopolim, qui cum Murate de pace componenda ageret. Is ab Imperatore humaniter exceptus 17. Augusti 1680. rationem suæ Legationis frequente senatn ad Portam reddidit.

Sed conditiones pacis nullas admittere Turca voluit, nisi Persæ Sirvanum, omniaque loca Turcicis

armis prius occupata relinquerent. Re igitur infecta Maxudes in Perſidē reverſus eſt: qui paulo poſt à Muchemete Sophi deficiens Murati ſe adjunxit: Sinan baſſa interim belli tam longi & tam infrugiferi pertæſus Conſtantinopolim rediit: Scacho prius Perſico auctor, ut alium legatum prudentem, rebusque gerendis magis idoneum ad Muratem remitteret, qui cum eo de componenda pace tranſigeret in quo negotio fidelem ſe Perſis operam præſtiturum pollicebatur.

1581. Anno igitur 1581. die 29. Martii Conſtantinopolim de pace tractanda Legatus venit Ibrahimes Chan, à Muchemete Scacho miſſus, & cum eo Legationis comites plusquam trecenti equites. Dum hæc gererentur Oſman baſſa ex Temircapi in Perſidem irruptionem faciens Sirvanum invadit, maximaque damna incolis infert, induciis violatis. Medi tamen collectis copiis fortiter ſe defendunt, prædones in fugam vertunt, ac prædam recuperant. Huius cladis nuncii Conſtantinopolim venerunt, quo tempore Murates ſolemni pompa Muchemetes filij circunciſionem frequenti legatorum totius orbis conventu celebrabat: Defecerat & à Turcis annoſæ vetulæ filius Georgianorum Princeps, qui paulò antè Muſulmanicam religionem fuerat amplexus; cumque ſuis Georgianis ac Perſis magnam Turcarum ſtragem ediderat: Quapropter Murates Sinanis loco Ferhatem remiſit in Perſidem, illique negotium dedit ut Georgianum Principem quo poſſet modo, ſive vi, ſive aſtu de medio tolleret, Simonemque & Tocmacem Sultanum Revani dominum Georgianos Principes cum Perſis fœderis ſacramento vinctos interficeret. Ferhates poſtquam in Perſidem venit, Tocmacis impetum cohiberet, inter Carſeum &

um & Revanum arcem extruxit munitiſſimam, cui præfecit Cigalogeni baſſam: qui ex hac munitione perpetuis excurſionibus non deſinebat Tocmacis ditionem infeſtare, majore tamen ſuorum quam Perſarum damno: nam primo victus fugatusque eſt, deinde reparatis viribus rediens conflictu acerrimo ab hoſte vulneratus eſt, poſtremò in Perſarum venit poteſtatem. Oſmen qui Temircapi degebat petivit à Murate ut ad eum pecuniam cum annona mitteret, & fabros qui claſſem ædificarent, Raiſesque navalium copiarum præfectos, & auxiliarem militem ex Græcia & Anatolia ſimul delegaret, cum quo poſſet Perſidem depopulari. Oſmanis petitioni ex tempore ſatisfecit Murates: qui Temircapin exercitum cum ingenti pecunia ſtatim properare juſſit. Hoc adjutus Oſman Perſas invaſit, multumque damni illis, omnibusq; vicinis amicis, & inimicis intulit: à quibus tamen animoſe exceptus eſt, & duriter tractatus fuſus fugatusque. His cladibus acceptis excandeſcens Murates, Sinanem baſſam ad ſe accerſitum amarè reprehendit, qui anno ſuperiore jactabundus promiſerat ſe effecturum, ut Perſa Scachus Conſtantinopolim captivus traheretur, illiusq; regnum in Turcarum poteſtatem redigeret. Quoditie tamen contrarium ſuccedere videretur, Perſarum viribus invalentibus. Ille ut animo erat arroganti, & inſolens redditus tam propter Goletam in Africa occupatam, quam propter inſignem dignitatem, & autoritatem, qua illum Turcicus Imperator ornaverat, ſuperbè reſpondit, Scachum Scacho opponendum: innuens his verbis neceſſarium eſſe ut Murates exercitu collecto ipſemet Perſarum regem invaderet, & præſens experiretur quanta cum difficultate bella cum remotis gererētur hoſtibus:

qui potentia, & rerum experientia non cederent Turcis: & hac in parte superiores essent, quòd in patria hostem exciperent, regionem montosam, difficilemque, & rerũ necessariarum penuria laborantem colerent: quòd fuga in præruptos dilapsi montes cum omnibus facultatibus suæ saluti facilè consulerent, regionemque fœdissimè devastatam Turcis relinquerent. Hoc responso excandescens Murates, Sultanæ præterea matris precib⁹ (quæ filium hanc expeditionem suscipere nolebat) irritatus, Sinanem Masulem pronunciavit, hoc est, in privatum statum redegit Vezirisque dignitate privatum exilio mulctavit, & eius bona ad fiscum retulit. In cuius locum suffectus est Siauses bassa, qui Muratis sororem uxorem duxerat. Osmanes acceptis iterum aliis copiis auxiliaribus, Somachiam in Sirvaniæ confinibus occupavit: & Tabbassaram non procul à Temircapi, Calbamque vicinam subegit: quæ omnia loca præfectis, præsidiis, & machinis bello idoneis munivit. Sed cum Muchemetes Keraiorum Chan juberetur ad Temircapim contendere cum exercitu, ut auxiliaretur Osmanni ipseq; cognovisset ideo hoc sibi præcipi, ut dum foris abesset bellis occupatus, Murates eius ditionem subjugaret imperio. Is igitur pecuniam, annonam, resque necessarias ad hanc expeditionem petivit: Murates ad eum centum jumenta misit aspris argenteis nummis onusta, qui ultra centum & quinquaginta Sultaninorum millia efficiebant, simulque vestes plurimas tam sericas, quam laneas, & arma omnis generis, quibus Tatari munirentur. Non audebat enim Muratis imperium detractare Tatarus Princeps, qui à Turcico Imperatore stipendium ducentorum millium Sultaninorum recipiebat, collatis in singulos dies

mille

mille aſpris: & hac largitione continebatur in obedientia Muratis. Accepta igitur hac pecuniæ ſumma, Crimnio profectus cum Tatarico exercitu, verſus mare Caſpium iter ſuſcepit: Sed à via domum ſtatim regreſſus eſt, excuſans anni tempeſtatem importunam, & huic profectioni minimè idoneam: quodque Coſacorum vicinorum motus metueret, qui jam ſe præparabant ad invadendas Tatarorum provincias. Deluſum ſe, & expectatione ſua fruſtratum dolens Murates, Oſmanem juſſit Capham venire, & de Tataro ultionem ſumere. Quod ſtatim præſtitit, Muchemetemque correptum cum duobus filiis ſtrangulari juſſit anno Chriſti 1584. & in regnum 1484.
Keraiorum ſuffectus eſt Iſlan Chan Muchemetes frater quem Muratis juſſu Capham deduxit Vluzalis baſſa: Rebus igitur ex animi ſententia ſuccedentibus Oſmanes Conſtantinopolim cum Vluzali navigavit, & à Murate Vezirazemes creatus eſt, reiecto Siauſe baſſa, qui Maſul factus erat, propterea quòd auctor fuiſſet mittendæ ad Muchemetem Tatarum Chanen pecuniæ, quòdque occultas cum Oſmane exerceret inimicitias, & quod Muratem Sultanum in Muchemetem filium exacerbaſſet. Indignè hoc tulit Sultana Muchemetis mater, quæ ut Siauſem à dignitate removeret, Murati marito perſuaſit dolo malo Siauſis patrem in filium fuiſſe irritatum, ut filio ira paterna ſublato, Siauſes poſtea imperium ſuiſq; liberis (quos ex Muratis ſorore ſuſceperat) hereditarium invaderet. Siauſes his criminationibus onuſtus, vix vita uxoris beneficio impetrata, ex aula imperatoria expulſus eſt, & omni dignitate privatus: Muchemetes Keraiorum Chan, cũ ab Oſmane baſſà perimeretur cum duobus filiis ſuperſtitẽ reliquit filium natu maiorẽ, qui paterna cæde perter-

perterritus & offensus, Nogaiorum Tatarorum Chanen, cuius filiam duxerat uxorem, stimulavit in ultionem: collecto igitur exercitu, acceptisque omnibus ad bellum necessariis in patruum Islanem Chanen profectus est, eumque Criminio & maiore ditionis parte ejecit, & Capham Tauricæ Chersonnesi urbem compulit. Murates ut Tatari impetum averteret, Osmanem jussit cum terrestribus copiis Islani Chani suppetias ferre, qui Castamonam ad Euxinum Pontum urbem sitam properavit, ut illic vernum tempus expectaret bello gerendo magis idoneum. Vluzalis verò classem Sinopem deduxit, ut navibus milites Caypham trajicere commodè possent. Revera tamen hic apparatus ad cōtinuandum bellum Persicum fuerat institutus, ut postea experientia docuit.

Eodem anno uxor Ramadanis bassæ Tripolitani vidua cum familia, suisque facultatibus (quæ octies centenis aureorum millibus æstimabantur) ex Africa Constantinopolim navigabat. Triremis, qua vehebatur, tempestate acta, in sinum Hadriaticum compulsa est: Huic mari præfectus erat Petrus Emus patricius Venetus: qui Turcicam triremem cum aliis navigiis conjunctis oppressit, omnes interfecit, illato fœminis omnibus stupro, occisorumque corpora fœdè polluta & mutilata in mare projecit. Murates re intellecta apud Venetos per Zausium conquestus est de iniuria suis illata, deque nefaria & barbara crudelitate quam in innocentes exercuerat Petrus Emus, illumque sibi dedi postulabat, & omnium quæ rapuerat restitutionem. Veneti, qui priùs immane facinus cōmissum detestabantur, ut justis de causis animum Muratis offensum sedarent, triremem cum omni præda remiserunt Constantinopolim, & Petrū Emum in præsentia Zausij condemnatum capite plecti jusserunt. Fer-

Ferhates Baſſa, qui in Perſidem miſſus erat, annonam militibus avarè ſubtrahebat, eosque indignè tractabat, adactis Spachijs & Ianizzaris ad functiones etiam ſordidas & ædifitia munitionum extruenda: quam iniuriam Murates aliquandiu diſſimulauit, quod rebus vbique turbatis, eius opera opus haberet. Oſmanes interim Serdar (hoc eſt, ſummus Imperatoriarum copiarum dux & Pręfectus) inter omnes Turcicos Baſſas longè nobiliſſimus, (natus enim erat patre Damaſci Beglerbego, & matre Babylonij Beglerbegi filia) Is anno 1585. in Perſidem remiſſus eſt: ſæpiusq; cum Perſis dimicatus, multa ſuorum millia amiſit: Tandem Tebriſio potitus eſt, dedentibus vrbem civibus. Munita itaque regia bellicis tormentis, armis, annona, & mille Spachiorum, duorumque Ianizzarorum millium præſidio, poſtquam Tebriſio abiviſſet cum exercitu reliquo, quinto poſt die in via mortuus eſt diſſenteria. Poſt cuius obitum Cigaloglis Reuani Beglerbegus ſupremum adeptus imperium militum non ſine magna difficultate incolumem reduxit, & VVauum vſque pervenit. Neque multo poſt Perſa Scachus Tebriſium recepit, cęſo, quod ibi relictum erat, præſidio. Diverſisque conflictibus cum Turcarum copiis, ſuperior euaſit, quibus hoſtium plusquam octoginta millia dicitur occidiſſe: Recepta tandem ditione, & Turcis expulſis, Muchemetes Sophi Perſarum Scachus ſceptrum regnique adminiſtrationem filio remiſiſſe fertur, & ad priuatam vitam ſe contuliſſe, in qua reliquum ſenij tempus exigat.

Sequentibus annis pauca memoratu digno præſtitit Murates: niſi quod anno 1586. Ferhates Baſſa deluſis Perſis (dum ſe Caſminum proficiſci ſimulat ad occupandam Perſidis interiorem regiam) Cigaloglis arcem Te.

brisinam, quam adhuc Turcæ tenebant, supplemento novo, annona, rebusque necessariis quibus indigebant confirmauit. Eodem anno mense Decembri Turcæ in Croatiam irruptionem facientes à nostris cæsi sunt: inter quos Bassa Bosnensis captus, & capite truncatus est. Sequenti anno, mense Februario nostri Copanum arcē ad Balatonem lacum sitam Turcis ademerunt. Ex mille præsidiariis qui illic erant, capti sunt fere ducenti, & fæminę septuaginta cētum, equi generosi, & præda precij quadraginta ducatorum millium æstimata: reliqui vel cæsi vel fuga elapsi sunt. Tres Sangiaci, qui eò conuenerant, ita tractati sunt, vt primus tantum evaserit: secundus in loco subterraneo, quo fugerat, puluere tormentario accenso suffocatus est; Tertius Cara Alis Copanensis Sangiacus captivus Viennam abductus est, inde Pragam ad Imperatorem Rudolphum.

Anno 1588. Turcæ iterum in Christianorum fines irruperunt, & sedecim pagos deprædati sunt circa Limpacum, abductis omnibus in servitutem incolis. Sed Georgius comes Zerinius, Nicolai ad Zigetū mortui filius, coacta subitò militum expeditissimorum valida manu in prædones irruēs, eos crepusculo matutino super Catzerolacum, inter paludum angustias ita pressit, vt aliquibus in sylvas diffugientibus, alis in paludes sese præcipitantibus, maiorem eorum partem cęciderit. In hoc prœlio Machmutes Sangiacus Quinqueclesiensis Alisbassę filius captus est. Sinanbegus Mohaziensis in paludes cum equo lapsus ictu globi tormentarij transfossus interiit. Zigetanus bassa, cum Chasane Copanensi euaserunt: sed hic paulopost è fuga retractus est in syluis oberrans: ille fame ac dolore animi semiconfectus die septimo pedes

Bre-

Breſenzã peruenit. Capti ex hoſtibus mille & trecẽti: cęſi vel ſubmerſi fere duo millia: mille & quingenti equi in noſtrorum venerunt poteſtatem; prædaque omnis cum captiuis Chriſtianis recepta eſt. Cæſorum capita quadringenta, & ſexcenti captiui Caniſam relata ſunt. Noſtrorum copiæ conſtabant quingentis equitibus, & mille & quingentis pedibus, ex quibus tantum deſiderati ſunt vndecim, & pauci vulnerati.

Murates anno 1595. ſexta Ianuarij è vita deceſſit, Muchemete filio Imperij ſucceſſore relicto: qui ſtatim poſt patris obitum maiorem ſuorum morem ſecutus, nouendecim fratres interfici juſſit, vt ſolus regnaret, & octo patris vxores ſimili crudedelitate ſuſtulit.



## N



## O



## P



## Q



## R



## S



Sea-

FINIS.









